HERMANNI CONRINGII FRISII
*Medicinæ Profeſſoris in Academia Iulia*

A. 17.

DE

# ORIGINE IVRIS GERMANICI

## Commentarius Hiſtoricus.

*Obiter de Juſtinianei Juris in ſcholas & fora reductione diſſeritur, ac Nibuſiani Triumphi exploduntur.*



HELMESTADII,
Ex officina HENNINGI MULLERI.
CIƆ IƆC XLIII.

*Magnificis Nobiliſſ. Ampliſſ. & Conſultiſſimis viris*

# D. ANTONIO APFELMANNO
# D. IUSTO KIPIO
# D. IOANNI Schwartzkopff
# D. IACOBO LAMPADIO

ICtis &

Sereniſſ. Ducum Brunſuicenſium & Luneburg. D. Friderici D. Augusti & D. Christiani Ludovici, Cancellariis ac Procancellarijs

*Hermannus Conringius*

*S. P. D.*

Anni quaſi novem ſunt, quum in uſum adoleſcentium quorundã, nullâ antè adjutus prævia ſcriptione, tantum productâ ex adverſarijs meis variorum, quę hinc inde collegeram, teſtimoniorum congerie, Germanici juris hiſtoriam, ut illam extemporaneâ operâ mente concipiebam, ad calamum dictarem. Is libellus, me inſcio, in multa mox exemplaria, ſed admodum mendoſè eſt diffuſus: ſive novitas argumenti ſcri-

ptores allicuerit, ſive quod nonnihil contineret opuſculum nō perinde in vulgus cognitū. Deſcribi enim illud curaverunt, ut deprehendo, viri etiam præclarè docti nec infimæ dignitatis. Quanquam verò haud leviter timuerim, ne deſultoria, & ut ita dicam, temeraria ac cruda opella, accedentibus, exſcriptorum vitio, plurimis mendis, tandem maculam aliquam nomini inureret, & ſubinde editionem multi flagitaverint; hactenus tamen adduci non potui, ſaltem ut recenſerem. Illo enim reipublicæ noſtræ collapſæ tædio afficior, ut patriæ antiquitatibus eruendis, quod ſtudium juvenem me ſæpe detinuit, vel ſubciſivam aliquam horam pigeat amplius impendere. Neq; verò vel nunc mutaſſem ſententiam, niſi atrociſſimæ injuriæ quibus, more ſuo, incomparabilem virum & maximū Theologum Georg. Calixtum, quem magiſtrum à multis annis ſum veneratus, collegam nunc atq; amicum ſummum habeo, Bartoldus Nihuſius, edito nuper *Irnerio* ſuo, affecit, graviter me commoviſſent, illaſque injurias cùm magiſtri & amici optimi cauſa, tum communis ſententiæ ergò, ad me quoque pertinere exiſtimarem. Scilicet, quod Calixtus noſter aureo libello *de Morali Theologiâ* adſtruxit, Iuſtinianeas leges non eſſe, abrogatis aliis, Lotharii Cæſaris juſſu in forum reductas; idem jamdudum etiam ego

fortiſ-

fortiſſimis viri rationibus perſuaſus, & in Commentarium de jure Germanico transtuli, & publicis ſcriptis aſſerere hactenus non dubitavi. Hoc verò dum refellere Nihuſius, & ſuopte Marte & per alios conatur, montes convitiorum in Calixtum congerit; de ſententiâ noſtrâ tanquam victâ iam & proſtratâ *glorioſos triumphos* chartis divulgatis iactat; quaſi nihil ſuperſit, quàm ut, qui cum Calixto facimus, vinctis manibus ſuperbi victoris clementiam ſupplices adoremus. Quæ inſolentia ut ſine exemplo, ita ſanè intolerabilis eſt. Vtq; vanum hominem contemnas, quod tamen multos complices, & applauſores non infimi gregis laudet, & quidem non falsò fortè laudet, id verò ferendum non eſt. Enimverò nihil ille nō egit hactenus, ut quam fortè ex ſacris controverſiis relaturum ſe deſperat victoriam, illam Calixto, cujus ſeſe inimiciſſimum hoſtem profitetur, ſaltim hâcin re exprimeret; quo tandem apud ſtolidam plebeculam, ſi illa ſileat, ipſemet accinere ſibi poſſit ſuave illud, *IO triumphe!* Nec ipſe unus tamen ſummo niſu proſternere Calixtum noſtrū hac parte laboravit, ſed tanta conantem haud pauci eiuſdem ſodalitij & incitarunt, quemadmodum videtur, & quo potuere ſubſidio, inſtruxerunt. unde hominis confidentia mirum, quantum per gradus intumuerit. Prima pugna *in Co-*

*rollario ad Apologeticum*, adductis in medium pa- cis rem nihil juvantibus Sigonij, Balduini, Forſteri, aliorum teſtimonijs, intra ſuperba convitia ſtetit & ſcurrilia maledicta. Itum inde *ad Iuriſconſultos & hiſtoricos eruditiſsimos* (ita gloriatur Nihuſius) *non catholicos tantum ſed alios quoque*; cumprimis ad Collegium Iuridicum Lovanienſe; quod nemo fortè hactenus de quæſtione aliquâ facti, & ad priſcam hiſtoriam pertinente, conſuluerat. Reſponderunt illi quidem pro Nihuſio: at faſſi ſunt: niti ſeſe *præcipuè Forſteri fide*. Hanc confeſſionem invitis, puto, auribus accepit ſacerdos Bartoldus: divulgavit tamen Reſponſum. Dixiſſes cum aliorum chartas non judicaverit dignas quæ ederentur, datum id honori Lovanienſium. Quid enim ab eiuſmodi ſchedulâ magni exſpectes? Nihuſi⸰ verò nondũ quidem triumphos ſibi tum decrevit, ingentes tamen hinc animos ſumens, monere edito libello (*Faculam* appellavit) non dubitavit Calixtum: uti ille, cognito Lovanienſum hoc iudicio, *errorem ſuum nimis indignum eo qui Profeſſor Academiæ Helmſtadenſis primarius conſalutari amat* (quo nihil eſt falſius) *quantocius fateatur ingenuè, depreceturq́ue ſcripto publico anteaquam confundatur ab aliis adhuc amplius*. Riſimus nos hominis ineptias: quod exiſtimaret, nudis, & pridie natis aſſertionibus ſententiam antiquis monumentis

& taci-

& tacito ſeculorum conſenſui innitentem convulſam eſſe. Nihuſius verò, ut ex hâc arena plenam victoriam reportaret, perrexit ad Bononienſes, & quidem ad ipſos *Illuſtriſſimos* & *Excellentiſſimos dominos Priores & Doctores Collegiorum Iuris Pontificii & Cæſarei.* Quo felicius procederet negotium acceſſit interceſſio, & commendatio *Illuſtriſſimi D. Fabii Chiſii* (quanti viri!) *Epiſcopi Neritonenſis pro S. ſede Apoſtolicâ ac ſanctiſſ. D. N. Coloniæ Nuncii.* Impetravit quod petierat Nihuſius tanto interceſſore ſuffultus: ac Collegia illa quatuor ex ordine ſuo dilectis Doctoribus *iniungunt onus diligenter conquirendi ex ſuperextantibus* (ita Latiniſſant Bononienſes illi) *antiquitatum iſtius patriæ monumentis, quæ de Irnerio erant poſita. Illi omnibus patriæ monumentis curioſè perluſtratis, omnibus veterum Iuris interpretum ſcriptis atque editis aſſiduè evolutis, ipſo tandem ſolo Italicorum annalium ac ſerie* (verba illorum retineo.) *vomere laboris inverſo*, antiquum quidem nihil, nihil elegans promſere; tantùm Caroli Sigonij, Nicolai Alidoſii, & Ioannis Bonifacii nupera teſtimonia barbaro ſermone oſtentantes; quod tamen pronunciaverint pro Nihuſio, id vero ſatis cauſæ creditum, cur de Calixto *totus ille triumpharet.* Editum mox in publicum Reſponſum illud, ipſo frontiſpicio loquente *Nihuſium hic de Calixto totum triumphare.*

Reſpon-

Reſponſum ipſum quantis (hem!) laudibus eve-
ctum? *Exquiſitè nobile, ſolidiſſimum, cedro digniſſimum, abſolutiſſimum, theſaurus pretioſus.* Quid verò Calixtus? *Andabata, Vertumnus, homo ſummæ levitatis, cuius promiſſis nihil Vanius, puerilis, fatuus, ſycophanta, putidiſſimus Andabata, qui ne quidem Germanicam linguam callet,* ut taceam plurima convitia alia. Ipſe Nihuſius *Bononienſibus quidem illis quod uſque adeo cumulatè ſatis fecerint ipſi, ut Verbis exprimere nequeat, nedum extollere dignis præconiis, ſummas gratias agit Venerabundus;* de cœtero *totus triumphat, publicè triumphat, canit triumphum quam ſolenniſſimè coram toto mundo, & quidem glorioſiſſimum.* Hæc profectò exemplo carent. Eſto enim (quo tamen nihil falſius) Calixtus erraverit. An *pueriliter*, an *impudenter* errat, an *errorem profeſſore* & viro docto *indignum* errat, qui id negat factũ quod antiquorum fide monumentorum deſtituitur? An qui ita fortè erravit, *ſcripto publico culpam deprecari* debet? An error neque fidei, neque bonis moribus, neque humanæ vitæ noxius, meretur putidis adeò convitiis proſcindi? Quis vidit, quis audivit errorem, & quidem hiſtoricum, publicè in triumphum duci? Quis alius chartas eiuſmodi triumphales huc illuc paſſim locorum per aulas, per Academias ſparſit? Ipſe Nihuſius quantò ſanius & rectius alibi in ſuo *Corollario ad Apologeticum*

*cum*

*cum* loquitur! *In diſputatione legitimâ & honeſta non quæritur victoria, ſed ſolum in contentioſâ, ubi conſcientiæ crebrò non magna ratio habetur. An enim, quum unus docere, & alius diſcere quærit, ibi iſti duo vincere ſe invicem, propriè loquendo, intendunt?* Benè, me Deus. Qualis verò eſt triumphus Nihuſii, ſi in diſputatione honeſtâ ne victoria quidem obtinetur? Si diſputavit honeſtè, ne vicit quidem, adeoque ſine victoriâ triumphat; quo nihil inſanius: ſi contentioſè, improbus eſt & decoxit conſcientiam. Vtrum verius, haud facilè dixeris. Prius ut malim credere, facit Chriſtiana caritas, & confirmant tot alia Nihuſii dogmata & facta, qualia ab homine ſani capitis temerè profecta non ſunt. Id certum, hanc controverſiam ad Nihuſium nihil pertinere: ne quis exiſtimet litem hanc homini illi à Calixto noſtro motam. Etiam id quod ſcribere Nihuſius non erubuit, *ſui occaſione hæc cœpta*, tam procul à vero eſt quàm ille à ſano cerebro. In medio eſt Calixti de *Theologiâ morali* labor, quem ille ineptis ſuis novis Artibus interrupit, auctore, quùm nihil minùs quàm de Bartoldi Artibus cogitaret, per vim à doctrina de Legibus ad alia protracto. Quid ergo hominem adegit triumphos ex hac potius hiſtoricâ, quàm aliâ arenâ, in quam ipſe nec deſcenderat ante, nec à Calixto provocatus eſt, petere, niſi improbum

 odium

odium aut veſana jactandi ſeſe libido? Conatur, ſcio, Nihuſius *epilogo ad Irnerium* alias pauló cauſſas adducere. *Dicam amplius quid*, (inquit in Irnerij illo epilogo) *unde pateſcat, quorſum de Irnerio illud urgeam ego tantopere, quod alioqui minùs ad me pertinere videri queat?* Quid verò illud? *Probationes, quibus Calixtus in Fidei ac religionis negotio aut impugnat ſolùm noſtra, aut ſtabilitum ſimul it ſua, eædem planè ſive principijs iiſdem nixæ ſunt cum illis, quibus à parte unâ reijcere conatus fuit vulgatam de Irnerio ſententiam, & ab alterâ confirmare pariter novellam ſuam. At verò de his triumphamus: ergo nec minùs triumphabimus de illis.* Hæc ille. Si rectè aſſequor hominem, vult videri gloriosè adeò nunc triumphare, ut hoc præjudicio captus quiſq; judicet, Calixti contra Pontificios conatum non minùs fore irritum atq; eſt ille de Lothario. At, ſi de futuro ex eo quod anteceſſit certam liceat ſpem concipere, eſt profectò cur benè ominemur noſtris partibus earumque patrono. Non intelligo autem, cur adeò certos triumphos polliceri Nihuſius audeat Pontificiis ſuis, eo nomine quòd Calixtus (largiamur enim hoc nunc triumphatori, quo aliquantulum ſe titillet) victus ſit in cauſsâ Lotharii. An qui ſemel cadit ſuccumbit perpetuò? Scimus verò, jamque in proverbium abiit, etiam victis interdum redire in præcordia virtutem,

rem, & captum eſſe captorem. *At iiſdem principiis nituntur Calixti probationes in Religionis illis & his Lotharii negotiis.* Haud multum negamus, ſi de principiis remotioribus ſermo ſit. Ergo, *ut in his eſt victus ita & in illis ſuperabitur.* Hujus ego conſequentiæ vim non ſatis percipio, niſi dixeris, principia ipſa Calixti falſa & veritati eruendæ inidonea eſſe. Certè ſi tantùm ipſa ex principiis deductio in vitio eſt, vana eſt illa novi triumphi promiſſio: neque enim eo quòd ſemel rem quis geſſerit malè, perpetuam licet hoſti victoriam ſperare. Sanè blandioribus fortunæ initiis ineſcati multi funeſtum poſtremò ludibrium victori debuerunt. Sed ipſa fortè principia laborant. Quin producamus ergo illa in medium. Sunt illa potiſſimum hæc tria. Primum. *Quicquid de rebus humanis antiquis, neque illius ætatis quâ ſunt geſtæ, neque proximorum aliquot ſeculorum fide dignis monumentis traditum eſt, illud fidem non meretur, utut heri & nudius tertius vulgò credi cœperit.* Alterum: *Quicquid auctores fide digni reique geſtæ proximi memorant, id potius credendum quàm quòd nuperi quidam nullis antiquis monumentis ſubnixi aſſerunt.* Tertium: *Res vetus humana, cuius in nullis antiquis hactenus vulgatis monumentis ulla memoria exſtat, quamque nec in manuſcriptis invenere illi qui ſummâ induſtriâ omnia ſcrinia, omnes pluteos excuſſerunt, illa ad noſtram notitiam nul-*

*lo fide digno teſtimonio pervenit.* His ſanè principiis communioribus ac remotioribus, & in hac Lotharii cauſsâ & quadamtenus in Fidei negotiis utitur Calixtus noſter. An de ipſis his principiis proſtratis triumphat Nihuſius? certè alia nova adfert, ipſe aliis utitur. Si facit, quid niſi dementiam prodit? triumphans ſcil. non tantùm ante victoriam ſed etiam ante pugnam: neque enim horum certitudinem directè oppugnavit. Quin nec poſſunt illa impugnari ab homine cui mens conſtat: pro fundamento quippe habent ipſam humanæ intellectionis naturam; quod fundamentum immobile eſt, niſi divinitus quid contingat ſupra aut præter naturæ illum ordinem. Qur verò non utamur his principiis, etiam in Fidei noſtræ controverſiis? Nempe illa quæ nunc dividunt horribilem in modum Chriſti Eccleſiam, ecquid aliud ſunt quàm facti veteris quæſtiones? an ſcilicet Salvator hoc, illud, credendum, agendum, ſive vetuerit ſive juſſerit ſive permiſerit ſive deniq; ſvaſerit. Quidni itaq; & hîc tum ipſa antiquiſſima Apoſtolorum eorumq; auditorum, tum his proxima primitivæ Eccleſiæ monumenta conſulamus? quum ſolo horum adminiculo ad nos uſq; integra veritas potuerit pervenire. Certè de quo altum per integra quatuor priora ſecula aut ultra ſilentium fuit, hodie tamen præfractè pro Apo-

ſtoli-

ſtolico venditatur, novitium *κενεμα* eſt. Quod vel ipſis Apoſtolicis literis traditur, vel in Apoſtolos doctores primæ illius ætatis fide dignis teſtimoniis refertur, id verè eſt Apoſtolicum; ut ut hodie etiam longè plurimi contraria placita Apoſtolis adſcribant. Cujus denique doctrinæ nullum veſtigium in ullis hodieq; ſuperſtitibus vel ipſorum Apoſtolorum vel quatuor primorum ſeculorum monumentis reperitur, illa & Apoſtolis & primæ Eccleſiæ fuit ignota, adeoque non eſt Apoſtolica. Hæc principia, ſive univerſaliùs ut ante prolata, ſive ad rem Eccleſiæ reſtricta, deſtruat ſi poteſt aut velit, vel ipſemet Nihuſius vel ejus factionis alius. Vbi id fecerint, per nos licet, *glorioſè triumphent*: quin ſponte nos ſequemur quadrigam non amplius vanè triumphantium ſed verè victorum. Si ante, vel ille vel alii triumphare perrexerint, nos quidem illorum triumphos non alio poſſumus loco habere quàm quo Caji Caligulæ de Germanis & Oceano triumphus à prudentiore quoque olim habitus eſt. Quamquam etiam hoc triumphandi genere delectari Nihuſium videas. Neq; enim ille contentus, triumphum egiſſe de Calixto, quaſi malè pugnante, nuperrimè de eodē, quoniam hoſtis provocatus non prodiret in aciem, non præliante, chartas triumphales per omnem paſſim Germaniam diſper-

 ſit.

ſit. Quam inſaniam ſoli Nihuſio dixeris propriam, niſi credere homini malis triumphum hunc multis illius ſectæ ſolennem eſſe: quod tamen vetat me credere plurimorum & prudentia, & probitas, & eruditio. Quis enim prudens ovaſſe quem legit, qui non tantùm non vicerit, ſed etiam provocatus pugnam declinaverit, de hoſte ultrò provocante & expectante prælium. Nemo profectò ſanus ejuſmodi triumphum vel popoſcit ſibi. Atqui (ſi fas eſt bellicis vocabulis cum Nihuſio uti, de amicâ diſputatione Chriſtianæ pacis & boni publici ergò inſtituendâ) Calixtus eſt qui provocavit Colonienſes ad prælium, hactenuſque eos eſt præſtolatus: Colonienſes verò huc quidem uſque nullam pugnandi copiam fecerunt. Quod hoſte nuſpiam comparente non cum larvis luctatus ſit Calixtus, id verò jam Nihuſius triumphat ſcilicet. Sed indulgeamus nos Nihuſio (ſoli tamen) ejuſmodi triumphos; quum immani adeò ovandi libidine teneatur: neque enim nos latet Chijs (itidem tamen ſolis) datam olim in Senatu Attico vomendi licentiam; modò ne per ejus ineptias ipſa veritatis eruendæ & rectè ratiocinandi principia capiant quidquam detrimenti. Verùm ille non tantùm videtur triumphare velle de principijs paulo ante allatis, ſed etiam nova & quidem planè contraria conſtituere.

Non

Non dicam nunc quòd in Fidei-rebus, hodiernæ, non univerſalis, ſed ſolius Romano Pontifici addictæ Eccleſiæ, ſententias pro infallibili ac primo principio Chriſtianæ ac catholicæ fidei habeat: etſi enim id perquam ſit remotum ab omni veroſimilitudine, tamen excuſari fortè poteſt idem ſtatuentium numero. Illud verò & novum & nimis abſurdum eſt dictu, in quæſtione de Lothario, h. e. in quæſtione facti veteris, *ſufficere ad fidem* conſenſum doctorum noſtri fortè temporis. Obſcuriùs paulò hoc ipſum dicit Nihuſius in Itinerij ſui epilogo; aliter tamen accipere ejus verba vix licet. *Sufficit nobis* (inquit) *teſtimonium vivum Eccleſiæ noſtræ, quæ juxta noſtram ſententiam & accepit ea dogmata primitus à Chriſto & Apoſtolis & fideliter hucuſque conſervavit. Nec refert quòd Lutherani teſtimonium illud noſtramque iſtam ſententiam ſpernant: perinde atque ſufficit hominum doctorum hucuſq; conſenſus, à Bononienſibus jam quoque comprobatus, nec refert, quòd Calixtus conſenſum eum reſpuat.* Hæc Nihuſius. Quod ergò in rebus Fidei valet præſens Eccleſia, id in Lotharij causâ ac ſimilibus, hominum doctorum recentiorum conſenſus. Vtrumq; ſcil. ſufficit ad certam fidem faciendam. Quo pronunciato nihil ſanè ineptius: niſi ineptius ſit quòd in epiſtolâ Bononienſium, quam famoſo ſuo Suſcitabulo inſeruit Nihuſius, legitur,

*Nihuſij*

*Nihuſij ſingularem eruditionem, ipſius adeò Lipſij au-ctoritate fultam, haberi potuiſſe pro lege apud Calixtum,* in quæſtione ſcilicet noſtra de Lothario. Haud negamus quidem, probabilem conſenſu illo reddi quamcunq; ſententiam; at certam hinc fidem naſci, niſi ex ætate rei geſtæ proximiore acceſſerint teſtimonia, ecquis crediderit? Ipſe Nihuſius longè rectiùs in corollario ad Apologeticum *n.*9. illo conſenſu communi moveri ſe profitetur *ne à vulgari opinione temerè ſibi ſit diſcedendum, donec aliter fuerit convictus.* Sed fortaſſis nondum ſatis apud ſe conſtituit Bartoldus, quanti vulgata noſtri temporis fama valere debeat aut poſſit in quæſtionibus facti antiquioris. Valde vereor autem ne in ſequiora ſit etiam hîc pronior, quum in adeò multis aliis fundamenta docendi ac diſputandi luxaverit. Ejus certè generis eſt, *quod* nobis, qui Romani Pontificis tyrannidi colla ſubduximus, ab ejus aſſeclis nullam dogmatum probationem deberi ſtatuat: *quod*, leges diſputationum quæ inter reſpondentem atq; opponentem ſive γυμνασίας ſive τῆς πίςεως gratia inſtituuntur, velit communes eſſe omnibus quæ veritatis eruendæ gratiâ vel inter duos inſtituuntur collationibus, vel ab uno conſcribuntur tractationibus: *quod* denique, (ut nunc alia præteream) opponentem unico ſyllogiſmo, cujus præmiſſas

omni

omni ex parte adverſarius reſpondens concedat, velit defungi vel arenâ cedere. Quæ omnia & ſtolida ſunt admodum & nemini prudentiorum hactenus temerè viſa, ſubruunt autem ipſa docendi diſputandique à rectâ ratione conſtituta fundamenta. Et verò ut de *priore* (quod ille ex fœtidis Franciſci Veronij aliorumque quorundam Ieſuitarum lacunis hauſit) nonnihil prius dicam; Aut omnia Pontificiorum placita ejuſmodi ſunt ut credi poſſint citra omnem demonſtrationem: quomodo ſcientiarum principia vel vi terminorum ſuorum vel inductione fidem inveniunt; Aut verò indigent probatione, ut illa quis firmiter credat, non verò ſolùm opinetur. Prioris ordinis eſſe, vel Pontificis vel ipſi addictæ Eccleſiæ infallibilitatem, ſubtractionem calicis euchariſtici, indulgentias, ignem purgatorium, aliaque id genus, ecquis ſanus dixerit? Si ergo ſimpliciter opus eſt ut certa quidem illorum fides alijs argumentis concilietur, utiq; nec nos nudè prolata illa poſſumus credere. Igitur etſi horum probationem nobis fortaſſis Pontificij non debeant, ſibi ipſis certè debent. Cæterùm ſi nobis eam non debent, hoc fit aut quia nos credere illa placita non teneamur, aut quia ipſi non teneantur nos docere. Si prius verum, iniquè profectò hæreſeos poſtulamur, iniquè tot in nos anathe-

matum fulmina jaciuntur, ob ſententiarum diſſidium. Vt verò pro ſe quiſq; comiter erranti monſtret viam, ut alter alterum inſtruat & doceat, hoc verò & humanitatis jus omnium mentibus inſitum, & lex divina ſeverè juſſit. Doceri verò nil poteſt niſi ſuis rem quamque rationibus probes. Si docere ergo nos tenentur Pontificij, etiam docenda tenentur probare. perſuadenda ſcilicet Fides eſt, non jubenda. *Sed* (dixeris) *Pontificii in ſuorum dogmatum ſunt poſſeſſione & longâ temporis præſcriptione gaudent, adeoque probare nihil tenentur.* Verùm hic quidem prætextus eſt veſanus: jam enim antè dictum, dogmata illa, ut omnia alia quæ ſunt extra primorum principiorum cenſum, credi, vel (ſi libeat tranſlatis uti vocibus) ab intellectu humano ritè poſſideri non poſſe, niſi vi aliorū principiorum: quæ ſimul ac memoriâ excidunt, etiam conſequentiū dogmatum ſcientia perit. contrà quam ſeſe res aliæ habent; quæ propriè poſſideri queunt interdum malâ fide, interdū bonâ fide quidem, ut tamen ignores primum poſſidendi titulum. Nulla ergo ſcientiæ poſſeſſio permittit quidquam ſcire citra probationem: nulla quoq; poſſeſſio tua eximit te ab illâ naturæ & Chriſti lege, quâ teneris docere errantem. Par ratio eſt ejus præſcriptionis quam longum tempus parit. Neq; verò diuturnum tempus demon-

ſtrationis indigam ſententententiam facit demonſtratione ne egeat: quin antiqua ſententia ſæpe antiquus error eſt. Multo minus, ne doceas alium neque tua probes, ab æternâ naturæ & Chriſti lege, præſcriptione quadã liberaris. Eſt autem par ſi non major ſtoliditas *alterius* illius Nihuſiani, (an Veroniani?) placiti, de gymnaſticis diſputationum inſtitutis in tractationibus διδασκαλικοῖς, quæq; veritatis ergò utrinque inter duos pluresq; ineuntur, collationibus. Huc ſanè eunt quæ paſſim ad ravim uſque urget de Reſpondentis & Opponentis officijs in ſacris controverſijs, & in illo de Lotharij negotio, obſervandis. Quis verò in homine logices peritiam & quidem ſingularem jactante toleret, ignorari diſcrimen inter dialectica exercitia & demonſtrativas aut διδασκαλικὰς tractationes. Certè Ariſtoteles, doctrinam quidem de inventione probabilium argumentorum philoſopho inſervire poſſe, totum autem illud quod ad reſpondentem & interrogantem pertinet, nullo illi uſui eſſe diſertè profitetur *c. 1. l. 8. Topicorum.* Et verò quid ab omni ratione alienius, quàm veritatem ſectanti ac docenti ſatis eſſe quidvis pro libitu citra omnem probationem ponere, idque ab inſultibus adverſarij ita tueri, ne quid ille hinc abſurdi elicere aut te ad confeſſionem ejus quod theſi tuæ adverſa-



tur,

tur, ſive palàm ſive clancularijs artibus, poſſit adigere? Atqui in hoc uno omne veri reſpondentis munus ſitum eſt. Quis dixerit irretire ita & circumvenire reſpondentem aut eum qui aliquid ſtatuit, (quod opponentis artificium eſt) ſufficere ad ſolidam falſi oſtenſionem ac probationem? Ne quidem, ſi duo pluresq; veritatis inquirendæ ergo inter ſe diſputent, leges illæ dialecticæ γυμνασίας reſpondendi opponendiq; exactè ſervari poſſunt. Longè ſiquidem aliud eſt velle θέσιν φυλάττειν, aliud velle verum quærere. Tantum abeſt, dialectica illa diſputandi præcepta ſimpliciter convenire τῷ λόγῳ διδασκαλικῷ. Quem errorem omnium ineptarum Nihuſij Artium πρῶτον ψεῦδος jure dixeris. Enimvero Apoſtolos non theſes reſpondentiũ more gentilibus proponere ſed *docere* juſſit Servator. In hunc Nihuſij modum adverſus hæreticas ſententias nemo veterum, nemo penè recentiorum pugnavit. Ita in Fidei ſerijs negotijs procedere diſertè vetuit Apoſtolus: τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει, inquit, προσλαμβάνεσθε μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Neque verò διαλογισμῶν voce collationes placidas doctrinæ gratiâ inſtitutas ſignificavit: (hæ enim per ſunt utiles imò neceſſariæ inſtruendis imperitioribus:) ſed concertationes ἐριστικάς, aut γυμναστικάς, aut πειραστικάς, aut ſi quo alio nomine velis appellare diſputationum id genus,

ubi

ubi reſpondentis unicum inſtitutum eſt τὴν θέσιν φυλάττειν, opponentis incautiorem adverſarium convincere. Non eſt inſtituti mei multis hîc de diſcrimine docendi, ac διαλεκτικῶς (utor voce ex more Lycei) diſputandi agere: fiet illud ipſum aliàs commodiùs. Indicare nunc ſatis habeo, quomodo Nihuſius ipſa docendi diſputandique fundamenta everterit. Et verò eas quoque reſpondendi opponendiq; novas leges tulit, quibus ipſæ exercitationes γυμναστικαὶ non minùs funditus evertũtur, quàm everſa ab illo eſt omnis διδασκαλία, quod *tertio* loco antè notabamus. Ità vult reſpondentem nunquam prorſus teneri rationem negationis ſuæ reddere: contrà quàm & Ariſtoteles olim in Topicis docuit & ab optimis quibuſque dialecticès noſtri ævi ſcriptoribus (quos inter ſolum Fonſecã nominatim nunc laudare ſufficit) proditum eſt. Fac verò negatam à reſpondente Opponentis inductionẽ, aut formam ſyllogiſticã argui, ſi opponens inducendo per omnia ſingularia eat, ſyllogiſmum etiam ſuum ad leges formæ ſyllogiſticæ ubi examinavit, proteſtetur nihil ſe invenire vitii; an æquum fuerit perſiſtere tum reſpondentem in negando? Certè id ſi fecerit, boni viri nomẽ haud tuebitur, omniſq; illa diſputatio fuerit vana, inanis & plena ineptiarum. Opponentẽ porrò aſtringere vult Nihuſius, ne utatur

ullâ aliquâ præmiſſarum aut conſequentiâ aliquâ; niſi ante cognitum habeat; nihil horum à reſpondente negatum iri. Quod ut hactenus inauditum ita ſanè ſtultiſſimum eſt. Quis enim certò ſciat quidnā alter ſive per imperitiam ſive per protervìam fortè ſit negaturus? Vt enim præſcias, quid negari meritò poſſit aut debeat, aut quid negare hacten⁹ alter ſit ſolitus; ſemper tamē, quid adverſarius ſit conceſſurus nec ne, præſciri non poteſt, quoniam neque de peritiâ omnium neq; de candore cuiquam poteſt certò conſtare. Si ergò ſolis illis, quæ reſpondentem non rejecturum certò prænoſcuntur, licet uti, quis ſanæ mentis opponentis partes velit ſuſtinere? imò quis hominum poterit ſine vitio id præſtare, ſi opponendi munus adjunctam habeat conditionem ingenij humani captum longè excedentem? Fac verò hac lege diſputent inter ſe duo: quis diſputationis illius erit uſus? Quodſi enim προσυλλογισμῶ nullus fuerit locus, opponens ſanè neq; exercere ſe poterit cum reſpondente, neque eius doctrinam explorare, multo minus veritatem inquirere. Nunquam enim non victor abibit reſpondens, ſi opponenti ad quamvis adverſarii negationem ſtatim ſit obmuteſcendum. Quin ergò omnis diſputatio è medio tollatur, aut ſatius ſit impoſterum audire quid Nihuſius aut alius aliquis non

ſanæ

ſanæ mentis reſpondens deliret. At Bartoldus his legibus expetit reſpondentis fungi munere perpetuò. Si quid ſapit, hac unâ in re dixeris illum non omnino deſipere: crediderim autem hoc votum illi cum aliis commune eſſe, qui ex ludo impudentiæ & inſcitiæ inanes triumphos captant. Neſcio an ab omni opponente id exigat idem ille quod à Calixto noſtro poſtulavit, cui ſeſe Reſpondentem novis illis inſanis legibus ſtitit. Illud eſt, ut Calixtus aut unum aliquod argumentum proponat, cuius præmiſſæ undiquaque placeant cerebro Nihuſiano; aut ex multis à Calixto propoſitis Nihuſio ſit optio unicum eligendi, ſed eâ conditione, (verba eius recito ex Triumpho) *ut ſi vel minimo id nixum inconceſſo* (h. e. ſi Nihuſius ad alterutram præmiſſarum ſuum *nego* protulerit) *non hoc tantummodo ſed & reliqua ipſius argumenta omnia, utut necdum audita nihili ſint habenda.* Neſcio, inquam, an omni reſpondenti concedat facultatem non niſi durâ hac conditione opponentem admittendi. Si concedit, habemus novum inſaniæ genus. Sin; magnâ profectò iniuriâ Calixto libertatem opponentibus omnibus communem vult præreptam. Quur enim etiam illi haud liceat aliâ aggredi viâ, quod unâ forte effici non potuit? Dices, etiam Nihuſium pari modo ſpopõdiſſe, ſeſe, ubi unico argumento

concessis

conceſſis omnimodo præmiſſis conſtante victus fuerit, confeſtim in omnibus Fidei controverſiis cum Calixto facturum, imò in omnibus etiam aliis aſſenſurum. Audio. Verum enimvero non ſponſio minus, quàm poſtulatum inſanit. Scilicet non eſt ſimpliciter in noſtrâ ſitum poteſtate credere quidvis aut non credere, aſſentiri vel non aſſentiri: aſſenſio omnis à vi rationum eſt ſive verâ ſive apparente. Itaque nec ſi unâ aliquâ in re fueris convictus te erraſſe, tui arbitrii eſt omnia alia hactenus fortè credita animo delere. Nî ſanè omnia uni fuerint fundamento ſuperſtructa, idque everſum fortè ſit, fieri non poteſt, ut ob unam ſententiam confutatam in omnibus aliis mentem commutes. Atqui non de principiis vel Chriſtianæ Fidei vel omnis intellectionis argumentum aliquod ab Calixto noſtro exigit Nihuſius, ſed promiſcuè de aliquo placito noſtro religioſo. Sed fortaſſis, quemadmodum Sabini quicquid volunt ſomniant, ita Nihuſius quicquid vult credit, aut non credit, alios verò ex ingenio ſuo æſtimat. Fac verò, omnia illa quæ de Reſpondentis privilegiis & miſeriâ Opponentis iſte perſuadere nobis voluit, ita ſeſe habere; an credis triumphaturum unquam Nihuſium, ſi quis eorum, quos Lutheranos vocat, ijſdem legibus reſpondendi provinciam ſibi ſumat? *Sed illis reſpondenti-*

*dentibus eſſe per Nihuſium non licet.* Quare verò? quia ſuſceperunt Romanæ Eccleſiæ placita convellere, adeoque opponendi partes ſibi ſumpſerunt. *En cor Zenodoti, en iecur Cratetis!* Verùm quid prohibet quo minus qui nunc vicem opponentis fungitur, non interdum reſpondentem agat? Quis hæc munera ita diſtinxit ut eadem ſemper ab iiſdem exerceantur, nec jure poſſint viciſſim permutari? Vnus Nihuſius. Scilicet ne quid ſani amplius ſuperſit in omni docendi diſputandiq; ratione, etiam hoc addendum fuit. Et tamen illas hominis chartas quibus hæc inventa ſua mirificè jactat, non puduit inſignium ſcholarum Colonienſis & Lovanienſis Doctores duos, alterum *apodictici libri*, alterum *facilis & ſolidæ methodi* titulo inſignire. Quin ſi Nihuſio credimus, plurimi alij intelligentes, novis illis artibus applaudunt. Sed fortaſſis etiam hæc inanis gloriatio eſt. Si qui tamen ſunt, ſive triumphatores ſive triumphantium acclamatores, illi profectò cum intelligentiâ & ratione inſaniunt. Me & Nihuſii & laudatorum ejus (ſi qui modò ſunt) ex animo miſeret; adeò illos à rectâ ratione prolapſos, ut tam ſtolida & omni retrò antiquitati, omnibus omnium partium paulò doctioribus, neque viſa neque audita hactenus, pro regulâ habeant docendi ac diſputandi. Nec tamen dubito,

ſolum ſectæ ardens ſtudium hanc caliginem imò ſtuporem animis hominum induxiſſe. Nempe ſurdos & cœcos reddi, qui ſectas amplexantur, jam olim, etiam Galeno meo, notatum eſt. Nihuſium verò quis non videt, ut ſuæ partis cœco amore ita diſſidentium omnium acerbiſſimo odio flagrare? Alios multos ejuſdem ſectæ, pari animo eſſe, utinam non ſit verum! Sanè nonnullos, eò quod caritatem exuant adeò ſeverè nobis mandatam, arcano Dei conſilio tradi εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, non eſt fortè quòd dubitemus. Equidem ſanctum illud numen veneror, ut per Spiritum ſuum zelotarum omnium corda caritate rurſum Chriſtianâ inbuat; quo, remotâ odij amoriſque ſpiſsâ illa nube, claram veritatis lucem liceat illis perſpicere. Sed quô mè trahunt Nihuſianæ & injuriæ & ineptiæ? Id tantum initio ſignificatum volui, ad argumentum hoc de Origine Iuris Germanici tractandum permotum me indignis illis & contumelioſis triumphis, queis & famam maximi viri Georgij Calixti noſtri, publicè perſtringere, & veritatem ab illo proditam convellere, homo ille eſt conatus. Et ſanè hac unâ de cauſsâ, ad opuſculum ante hos novem annos à me dictatum accuratiùs elimandum adductus ſum. Neq; enim mihi à rei medicæ operibus niſi exiguum admodum

otij

otij ſupereſt: & in quovis alio argumento malim ſi quid horæ vacuum eſt impendere, quàm in hoc, quod laboris multum, delectationis parum habet. Neque is eſt Nihuſius quî cum, ſi libeat, poſſis non ſine fructu vel in hoc campo contendere, ſi effrenem videas hominis maledicentiam; quin merito ſemper animo obverſetur illud: *CAVE CANEM*. Itaque & prudentius fortaſsè fuerit, non irritare crabronem, ſed jubere illum potius vel minutos verſiculos tornare, vel caligas ruſticanas canere, quod nuper inſtituit otioſus preſbyter. Verumtamen, quod ab initio dixi, adeò vehementer me commovit injuria præceptori & amico illata, ut impium duxerim, relinquere illum intentum melioribus, hac parte indefenſum, & veritatem à contumelia non vindicare. Tum verò haud parùm metui, ne inolitus error novo illo Bononienſium paxillo ſuſpenſus, apud eos quorum animos antehac occupavit, aut quibus curæ non eſt hoc expendere, veri aliquam ſpeciem recuperet. Sanè non mihi Nihuſianas calumnias (quas pervideo non defuturas) adeo vitandas cenſeo, ut propterea vel amicum in bona causâ, vel veritatem deſeram; præſertim, cum uno contemptu liceat famam benè ſibi conſciam ab improbis convitiis tueri. Cæterùm opuſculum meum excutienti mihi plu-

rima vel antehac non ſatis cognita vel negligentius tradita occurrerunt: itaque novis acceſſionibus penè novum opus edolandum fuit. Et verò crevit illud ſub manu in eam magnitudinē, quam animo non conceperam, fateor, aut ſperaverā. Ita urceolū inſtituenti ferè amphora exiit. Proindeq; vereor ne quæ hoc nomine calumniæ ſuſtinendæ ſint. Auſum tamen veniam mihi ab intelligentibus & æquis lectoribus promittere, quoniam de alieno nihil molis adjecerim, uno meo argumento contentus; nec licuerit hiſtoriam legum, à gentis noſtræ primâ memoriâ deductam, breviore fortaſſis gyro conſtringere. Neque verò ultima tantùm perſequi viſum: ſed ab ovo quaſi deducere tam nobilis rei ſeriem, operæ pretium judicavi. Scilicet leges, etiam forenſes, dimidium animæ, ut ita dixerim, civitatibus præſtant: nec reipubl. naturam integre perſpexeris niſi per omne ejus fatum animo diffuſo: adeoque nec Germaniæ noſtræ rempublicam plenè exponere, (quod mihi aliquando conſilium fuit) liceat, niſi legum noſtrarum originem, ſtatum, progreſſum per omnia tempora fueris perſequutus. Eſt autem apprimè etiam utile ſcitu, quibus moribus, legibus, atque inſtitutis res Germanica vel floruerit olim vel in diſcrimen devenerit. Quanquam

enim

enim ego leges cum legibus, inſtituta cum inſtitutis, mores cum moribus, non contenderim, imò à commodis atque incommodus eorum omnium indicandis conſultò abſtinuerim, quod mihi quidem nimis id arduum viſum ſit; non dubito tamen, eos quibus & major eſt cum juris tum gerendæ reipublicæ prudentia, otiumque, mihi nunc negatum, ſuppetit in res omnes Imperii noſtri accuratius animadvertendi, haud difficulter bona malaq; Germanicarum legum magno cum fructu ſuo percepturos. Et tamen etiã hanc rem, ſpero, ſaltem adjuvare poſſe meum hunc commentarium: quum utiq; non liceat decernere, quænã leges omni tempore expedierint Germaniæ, niſi antè noveris quænam ſemper obtinuerint. Poſterius verò, niſi valde fallor, luculente exponit ille commentarius, remotis fabulis; quæ omnem prope veri ſenſum vulgò hactenus eripuerunt. Enimvero in hoc argumento mihi cum fabulis, pene ut cum hydra Herculi, fuit perpetuò colluctandum. Nec tamen ipſemet ego fortaſſis veritatem ſemper ſum aſſequutus: adeò omnibus impeditis, nec à quoquam alio ante me viâ iſthac calcatâ. Quamtumvis enim fortè & à me nõnulla ſint commiſſa, plurima omiſſa, haud dubito tamẽ Iuris Germanici noſtri, totiuſq; adeo reipubl. penitius

nitius cognoſcendæ, faculam ſat illuſtrem à me accenſam eſſe. Si & in eo fallor opinione; ſaltim aliorum qui & me doctiores ſunt & in rebus noſtris exercitatiores, quibuſq; hoc agendi facultas major eſt, operam ſtudiumq; ad inveſtigandum verum hoc meo labore excitatum iri, confido. Qui ſi erroribus meis caſtigandis ita fuerint deditι, ut voluntatem ipſam benè de publico merendi haud infeſto animo perſequantur, optimè mecum agi exiſtimabo. Si ne hoc quidem impetravero ab omnibus, contentus ero integrâ conſcientiâ & paucorum æquitate. Verùm non eſt fortaſſis cur aliorum cenſuras pertimeſcam, ſi librum meum vobis, *Magnifici Nobiliſſimi Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri*, approbavero. Eâ enim eſtis & juris omnis & Imperii Germanici peritia, eâq; judicii acrimoniâ, ut verum á falſo heic diſtinguere nemo vobis queat rectiùs. Vnum tamen vereor, ne quæ cum omnibus penè jam multos annos mihi amicitia intercedit, atq; illa qua me ſemper complexi eſtis benevolentia, deflectat nonnihil judicii aciem in partes mitiores. Vt enim odium, ita nec amor ſuam judicio libertatem relinquit. Quanquam verò mihi hoc vehementer ſit metuendum, quum tamen alios noverim nullos qui exactiore trutinâ ponderare hæc poſſint,

licear

liceat à vobis contendere, ut ſepoſito nonnihil amore, in ea quæ à me diſputata heic ſunt, iſthac qua valetis mentis acie, animadvertatis. Sane vobis maximè omnem hunc commentarium offero. A quibus ſi probabitur, poterit etiam fortaſſis ille ad poſteritatem eſſe mei erga vos obſequii qualecunque monumentum. Valete, viri optimi, in reipublicæ noſtræ commodum maximum. Helmeſtadio ex Acad. Iulia Kalend. Martiis Anno cIↄ Iↄc XLIII.

*Hermanni Conringii Friſii*

*De*

# ORIGINE IVRIS GERMANICI
# Commentarius hiſtoricus.

## CAPUT I.

*Gentes Germanicas olim nullas Leges ſcriptas obſervaſſe.*

GEntes Germanicæ initiò, ut literarum non ſecreta tantùm, ſed & uſum omnem ignorarunt, ita & nullas leges ſcriptas obſervavêre. Etenim ſerò in univerſum apud Germanos literæ, ipſa ſcriptionis elementa, cœperunt: quo tempore jam plurimis ſeculis ſteterat literarum gloria apud Aſiæ & Africæ multos populos, cumprimis in Græcis, quos Romani exceperunt, floruerat. Intereà tamen indubiè legum aliqua ratio fuit; ut ſine quibus nulla ſocietas, ne latronum quidem coeat. Ipſi verò Germanorum hoſtes olim, Iulius Cæſar, & Cornelius Tacitus, quibus antiquiſſimam rerum noſtrarum memoriam debemus, non efferos mores aut promiſcua & nullo ordine concilia, ſed planè reſpublicas ſic ſatis benè inſtitutas, & mores laude digniſſimos majoribus noſtris attribuunt. Neque enim quod Pomponius Mela ſcribit: *jus in viribus habent*, aut quod Tutor Batavus *l. IV. hiſtor. Ta-*

*citi* inquit; *Germanos non juberi non regi, ſed cuncta ex libidine agere*; à convitio abeſt: niſi quod interdum, ut fit, magna populi libertas in licentiam, potentia in vim abierit. Habuerunt ſanè majores etiam tum, qui jura per pagos & vicos redderent ac controverſias minuerent, ex nobilitate electos, additis ex plebe comitibus in *conſilium & autoritatem*. Quæ diſertè teſtantur & Cæſar *l.* VI. & Tacitus *l. de moribus Germ.* Ex quorum narrationibus nemini non Romanarum ejus ævi rerum perito, etiam id liquet, mores Germanicos longè tum ſanctiores Romanis, ac veriſſimum Taciti elogium fuiſſe: *Plus apud eos valent boni mores, quàm alibi bonæ leges.* Loquitur autem omninò Tacitus de Legibus ſcriptis Romanis, quarum tum numerus jam in immenſum excreverat: ut illi maximo ſcriptori familiare eſt Germanorum res cum ſui ævi Romanis tacitè contendere. Cùm judicia itaq; ſua habuerint tum Germani benè conſtituta, per ſingulos pagos & vicos, cumque eâ fuerint morum ſanctimoniâ, oportet ſanè eos etſi non chartis, menti tamen inſcriptas optimas leges habuiſſe: quod jure præ altero commendatur Iſocrati *in Areopagitico.* Verùm has majorum leges (ſive conſvetudines potiùs appellare malueris) non niſi exiguam partem, ex Cæſare, Tacito, aliiſque ſcriptoribus petere eſt. Laudant alii ſpeciatim Manni, Hermionis, aliorumq; conditorum gentis noſtræ conſtituta: ſed quâ fide, patet: utpote quum rerum noſtrarum memoria omnis antiquior non niſi ex ſolis Romanis ac Græcis ſcriptoribus queat peti, (quod alibi demonſtratur) qui nihil hujuſmodi memorant. Neque dubium eſt in eâ libertate, quâ præ multis uſi tum Germani, haud adeò conſtantem fuiſſe conſvetudinum

omnium

omnium, morumq; normam: ceu vivendi fibula ſolet laxari, ſi ex arbitrio pleraque agere permittatur.

## CAPVT II.

*Nonnullas gentes Germanicas legibus ſcriptis cœpiſſe uti, poſt annum Chriſti quadringenteſimum.*

AB hâc verò legum non ſcriptarum obſervatione haud videtur diſceſſum ante ſeculum Chriſtianum quinctum. Certè nullum legis ſcriptæ vel tenuiſſimum indicium in Germanico quodam populo ante hæc tempora reperias. Et tamen neque tum ab omnibus hujuſmodi quid eſt inſtitutum, ſed ab ijs ſolùm, qui cultiſſimas Romani Imperij provincias victores incoluere, aſſumtis paulatim ſuorum hoſtium Romanorum moribus, cum victo populo in unum quaſi corpus coaleſcentes: Quo in numero præcipui tum, Franci, Burgundiones. VVeſtrogothi, Oſtrogothi, Langobardi. Hi ſanè omnes ſeculo illo quincto vel paulò pòſt leges ſibi conſcribere cœperunt, & Romanâ quidem cùm linguâ tùm literis; quod ſuæ linguæ voces literis exprimere neſcirent, & proprijs characteribus deſtituerentur, minimè id facturi, ſi abſque hâc fuiſſet neceſſitate, quo erant in Romanos hoſtili animo. An à reliquis gentibus Germanicis, Vandalis, Suevis, Herulis, qui itidem Romanas tum provincias inſederunt, ſimile quid tentatum ſit haud perinde conſtat. VViſigothorum, Oſtrogothorum, Francorum, Burgundionum, Langobardorum labores ab illo uſque ævo ad nos pervenerunt. Inter hos verò primi Franci manum

huic negotio admoviſſe videntur, & quidem jam circa annum Chriſti ccccxxii, occupatâ, Pharamundo duce, eâ Galliæ parte, quæ ad Moſellam eſt. Apud VViſigothos initium rei factum, Eurico rege, circa annum cccclxx, florente jam populo illo per Galliam Narbonenſem. Circa annum cccclxxxx videntur latæ leges Burgundionum, rege Gundebaldo. Non multo pôſt nata Oſtrogothica Theodorici regis in Italiâ. Vltimi horum Langobardi ſua ſcribere cœperunt. Verùm hæc clariora erunt, ubi de ſingulis non nihil dixerimus.

## CAPVT III.

### *De Legibus VViſigothorum.*

WISIGOTHOS igitur quod attinet (nam de populis qui Germaniam ita deſeruerunt, ut pôſt nihil cum illa commercij habuerint, primo loco diſſeremus) apud illos initium ſcriptarum legum factum eſſe Eurico rege, teſtis eſt Iſidorus Hiſpalenſis *in Chronico Era Hiſpanicâ* DIV. *Sub hoc rege* (Eurico) *Gothi legum inſtituta ſcriptis habere cœperunt, nam antea tantùm moribus & conſuetudine tenebantur.* Præfuit autem hic Euricus in Galliâ Narbonenſi VVeſtrogothis ab anno Chriſti cccclxv uſque ad annum cccclxxxiv. Poſt hunc in eandem curam incubuit Levvigildus, ille Suevorum victor feliciſſimus ſed Arrianus. De illo idem Iſidorus *Era Hiſpanica* DCXV. *In legibus quoque illa, quæ ab Eurico incondité conſtituta videbantur correxit, plurimas leges prætermiſſas adjiciens, pleraſque ſuperfluas auferens.* Hæc mutatio ergo contigit circa annum Chriſti DLXXX. Tum enim maximè Levvigildus floruit.

Adje-

Adjecta ſunt autem nonnulla & à ſecutis quibuſdam regibus; pauca à Siſebutho & Gundemaro, multa ab VVamba, Ervvigio ejuſque genero Egica, plura à Chindeſuindo & Receſvvindo, qui emendatæ legis auctores paſſim audiunt. Et verò Chindeſvvindi regis decreto hæ ſolæ leges in forum per omne VVeſtrogothorum regnum, quod tum univerſam Hiſpaniam comprehendebat, receptæ ſunt. Extat illud *libro* II *leg. VViſigothorum tit. 1. c.* IX: *Alienæ gentis legibus ad exercitium utilitatis imbui & permittimus, & optamus: ad negotiorum verò diſcuſſionem & reſultamus & prohibemus. Quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent: adeò cum ſufficiat ad juſtitiæ plenitudinem, & præſcrutatio rationum, & competentium ordo verborum, quæ Codicis huius ſeries agnoſcitur continere, nolumus ſive Romanis legibus, ſive alienis inſtitutionibus à modo amplius convexari.* Scilicet hactenus in foris Hiſpaniæ adhuc ſupererat uſus aliquis Romanarum legum. quas veroſimile eſt depromi ſolitas ex Aniani corpore illo juris, quod juſſu Alarici VViſigothorum regis id nominis ſecundi, (quo tempore illi à conſiliis erat & VViſigothi Narbonenſem Galliam tenebant) quondam circa annum D. Chriſti, Anianus ille ex Theodoſiano Codice, & aliis variis Romanorum Juriſconſultorum libris collegerat. Verùm quicquid hactenus erat obſervatum, id omne Chindeſvvindi decreto illo abrogatum eſt. Confirmavit idem filius ejus Receſvvindus: cujus lex habetur *libri* II. *tit. 1. cap.* X. *Nullus prorſus ex omnibus regni noſtri, præter hunc librum qui nuper eſt editus, atque ſecundum ſeriem huius à modo tranſlatum, librum alium legum, pro quocunque negotio in iudicio offerre pertentet: Quod ſi præſumſerit,* XXX *libras auri fiſco perſolvat. Iudex quoque ſi vetitum librum*

 *ſibi*

*ſibi poſteà oblatum diſrumpere fortaſſe diſtulerit, prædictæ damnationis diſpendio ſubiacebit. Illos tamen à damno huius legis immunes eſſe iubemus, qui præteritas & anteriores leges non ad confutationem harum legum, ſed ad comprobationem præteritarum cauſarum proferre in iudicio fortaſſè voluerint.* Quamvis verò poſteà Egica Rex emendationem legum Gothicarum in morem Chriſtianum, commiſerit Epiſcopis Hiſpaniæ, illa tamen quæ à Chindeſvvindo & ſucceſſoribus fuere inſtituta noluit mutari. Illius verba recitantur, in concilio Toletano decimo ſexto: *Illis procul dubio legum ſententiis reſervatis, quæ ex tempore divæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Domini Chindeſuvinthi regis uſque in tempus Domini VVambani Principis ex ratione depromtæ, ad ſinceram iuſtitiam, vel negotiorum ſufficientiam pertinere noſcuntur.* His ergo ſolis legibus tota Hiſpania, Gothico imperio tum ſubdita, fuit in foro uſa, nullo relicto antiquis Romanis legibus loco, etſi plerique incolarum minimè Gothici eſſent ſanguinis. Quod tamen non eſt, cur multum miromur, quum conſtet duriſſimo imperio priſcos incolas à Gothis oppreſſos eſſe. Eius indicium inſigne capere eſt ex *l.* III. *tit.* I. *cap.* I. quo à primo Receſvvindo rege laxatur iniquum illud interdictum *de connubio inter Gothos & Romanos* (quo nomine priſci incolæ veniunt) *non ineundo.* Hæc auctoritas verò Codicis hujus VViſigothici non tantum florentibus gentis illius rebus ſuperfuit, verum etiam diu poſt Roderici regis (quem unà cum VViſigothorum potiſſimâ parte Sarraceni interemerunt circa annum DCCXV.) tempora, apud Hiſpanos & Gothos, qui Sarracenicum jugum vel non ſubierunt, vel excuſſerunt, ſacroſancta habita fuit. Quin & in Galliâ Narbonenſi adhuc ætate Ioannis IIX Papæ circa an-

num

num DCCLXXX, (etſi illa provincia jam ab anno DVII in Francorum fuiſſet ditione) magno & in uſu, & in pretio fuit lex VViſigothica: qualis nimirum illa jam conſcripta erat ab Eurico Rege, quem primùm VViſigothicæ legis ſcriptorem ſupra laudavimus, reliqua enim fortaſſis ad illos non pervenere jam Francis ſubditos. Recitatur Ioannis Papæ ad Epiſcopos & Comites Hiſpaniæ & Gothiæ (hæc autem eſt Narbonenſis Gallia) epiſtola, ex concilio Tricaſſenſi miſſa, in *Decreto Ivonis p. 3. c. 98. Venit ante præſentiam noſtram filius noſter Siſeboldus Narbonenſis Epiſcopus, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habeatur de ſacrilegiis; & in eiſdem legibus ſcriptum erat; ut cauſæ, quas illæ leges non habent, non audirentur à Iudicibus illius patriæ, atque ita ius ſanctæ Eccleſiæ ſuffocabatur ab incolis Galliæ & Hiſpaniæ.* Notat Petrus Pithœus manſiſſe harum legum uſum in Hiſpaniâ uſque ad annum MCCXLI: donec ſcilicet Alphonſus Rex Ius Romanum in Partitas ſuas digeri curâſſet. Verum hæc plenius narrare non pertinet ad noſtrum inſtitutum. Id addendum: tametſi hæ Gothicæ leges initio Latinè fuerint ſcriptæ, pòſt tamen in Romanam quam appellant, h. e. vulgarem Hiſpanicam, linguam ſunt verſæ: quæ translatio ab Alphonſo Villadiego fuit edita. At ipſum Codicem Latinum debemus Petro Pythœo, magno illi ICtorum ornamento. Præter hæc verò ab iiſdem regibus VViſigothicis plurima ſunt de rebus Eccleſiaſticis, per varia Epiſcoporum concilia, conſtituta, ſed illa nunc non attingemus. Vel obiter autem codicem illum perluſtranti ſatis apparet, plurima hîc & prudenter & ſanctè conſtituta inveniri, adeoq; gentem VViſigothicam illâ ætate

morum

morum cultura reliquos Germanicos populos, longo intervallo ſuperaſſe.

## CAPUT IV.

### *De Legibus Oſtrogothorum.*

OStrogothos ad modum VViſigothorum conſvetudines & leges ſuas ſcriptis mandaſſe atq; in codicem retuliſſe, haut legas. Nec quando Theodorico rege Italiam occuparunt, antiquas & hactenus receptas Romanas leges abrogaſſe videntur, ſed eas potius ſtabiliviſſe. Demonſtratu id facile eſt plurimis Caſſiodori teſtimoniis. In ipſius Theodorici Edicto diſertè cavetur: Edictum illud promulgari *ſalvâ juris publici reverentiâ & legibus omnibus cunctorum devotione ſervandis*. Quibus verbis leges Romanas indicari certum eſt. Quod haud dubiè contigit, quoniam non ea Oſtrogothorum in Italia quæ in Hiſpania VViſigothorum potentia fuit, nec Italia Romanis ab Oſtrogothis vi erepta, ſed potius his tradita fuit Zenonis Cæſaris conceſſu. Interim & nova Edicta condendi poteſtatem Oſtrogothi habuerunt. Exſtant huius generis multæ conſtitutiones in *Variis* Caſſiodori, Theodorici Regis cancellarij. De quibus proinde doctè Pythœus *præfat. in Edictum Theodorici* loquitur: *Caſſiodori Variorum libri ad ius Romanum ſic pertinent, ut Theodericiana & Oſtrogothica pleraque admixta habeant: quæ qui non ſatis diſcernunt hybridas ſæpe nobis pro merè Romanis obtrudunt*. Cumprimis autem nobile eſt Edictum Theoderici. Primus illud edidit Petrus ille Pithæus cui & VViſigothica debemus. Verum omnes hujus generis conſtitutiones, deleto regno, per Iuſti-

Iuſtinianum Imperatorem procul dubio abrogatæ ſunt.

## CAPVT V.

### *De Legibus Gothorum, Scandiæ incolarum.*

ANtequam à Gothicis legibus abeamus, operæ fuerit pretium adijcere; quæ de Gothorum in Scandiâ hodieque ſuperſtitum legibus, earumque cum VViſogothicis convenientia, diſſeruit Andreas Bureus Svecus. Habentur illa in *deſcriptione regni Svecici politicâ. Fuerunt* (inquit) *olim in regno Sveciæ unicuique provinciæ ſua iura legesq́; propriæ, quarum varios fuiſſe perhibent auctores, quorũ nomina maiori ex parte ob vetuſtatem ignorantur. Vplandica tamen Vigerò Spa, Veſtrogothica verò Lumbero cuidam adſcribuntur. Suntq́; Veſtrogothicæ illæ eius vetuſtatis, ut procul dubio latæ videantur eo tempore, quo Gothi hinc exiverunt, vel paulò pòſt. Mentionem enim faciunt Gothorum in Græciâ & Thraciâ habitantium; videlicet ne quis eorum ſit particeps dictæ hæreditatis in Sveciâ vel Gothiâ, niſi illùc redire, ibiq́; degere voluerit. Conſtat autẽ Gothos ante Alexandri Magni tempora ibi habitaſſe, quos ille vitandos pronunciavit. Iidem etiam, ante natum Chriſtum, ſæpius terrori erant Romanis, quo minus Imperij ſui fines trans Danubium propagare auderent. Conveniunt autem leges illæ maiori ex parte cum Iſidori legibus Viſogothorum, quamvis multò ſint breviores. Quare veritati non abſonum videtur, eaſdem Iſidori Viſogothorum leges à noſtratium Veſtrogothorum conſtitutionibus primum derivatas, ac poſtea, ut ipſi teſtantur tituli, à Viſogothorum in Hiſpaniâ regibus augmentatas eſſe. Ex ſupra dictis autem provincialibus legibus, alijsq́; regni conſtitutionibus, Epiſcopi & ſenatores regni ante annos plus minus. CCLXX generale Ius totius regni compilarunt,*

*runt, legi naturæ valdè congruum, nec à Iure civili multum diſcrepans, niſi quod huius vigore lites multò citius ad finem perducantur.* Hæc omnia Bureus. Quamvis autem non negaverim VViſigothos, & Oſtrogothos olim è Scandinaviâ egreſſos, nec Philippo Cluverio *l. III German. veter. c. XXXIV.* id refellere conanti acceſſerim, adeoque verò non ſit abſimile, leges Gothorum Septentrionalium cum inſtitutis VViſigothorum Hiſpaniæ (ut gentis eiuſdem cum alteris illis originis) plurimùm convenire: non temerè tamen cuiquam perſuadebitur, quo tempore Gothi Scandinaviam deſeruerunt vel paulò pòſt, leges aliquas in Scandinaviâ fuiſſe conſcriptas, multò minus antecedere illas ætatem Alexandri magni. Scilicet ante Gulphilam ne Runicas quidem literas Septentrionalibus illis fuiſſe uſitatas, crediderim. Neque enim ille excogitaſſet novos characteres, ſi quæ literæ Gothis jam fuiſſent in uſu. Quin veroſimile eſt Runicas illas ex Gothicis à Gulphilâ repertis natas eſſe, variis modis inflexa, ut fieri aſſolet, figurâ. Conſtat autem Gulphilam Valentis Cæſaris ætate Epiſcopum fuiſſe Gothorum. Porrò, ſi verum eſt in legibus illis mentionem fieri Gothorum in Græciâ & Thraciâ habitantium, latæ illæ ſint oportet poſt Valentis Cæſaris tempora. Ille enim primus omnium Viſigothos in Thraciam & Mœſiam recepit, ubi ad Theodoſii II imperium permanſere. Oſtrogothi verò primum Marciano Cæſare in Pannoniam admiſſi ſunt. Tantùm abeſt jam Alexandri Magni ævo loca illa Gothis eſſe habitata. Verùm error hic natus eſt ex vicinitate nominis Gethici & Gothici, quos populos tamen longè diverſiſſimos eſſe, rectè demonſtravit Cluverius, utut illa ſoni affinitas jam olim

non Iornandem tantùm, ſed & Dexippum & Ablabium, & Paulum Oroſium (quos exſcripſit Iornandes) alioſq; plurimos deceperit. Certè Gothos in Germaniâ, ætate Traiani adhuc trans Lygios h.e. in Pomeraniâ vixiſſe, Tacitus abunde teſtatur. Et verò quinque regum ſibi ſuccedentium ætate in illis ad Oceanum, ſeu mare Balthicum, locis cis Viſtulam Gothos vixiſſe, ipſe Iornandes antiquorum Gothicorum carminum fide aſſeverat: neque ante Philippum Cæſarem ad Pontum & Danubium penetraſſe, alibi oſtenditur. Quicquid verò hujus ſit, non profectò ea eſt legum Gothicarum antiquitas, quam vult Bureus, utut etiam hoc nomine meritò ea S admiremur. Maluimus ſanè cum Cujacio *l. 11, tit. x1. de feud.* aſſerere, *quod ſint in iis* (VViſigothicis) *omnia ferè petita ex iure civili*; quàm cum Bureo affirmare illarum fontem eſſe ſeptentrionales illas. Nec verò ex eo, quod nonnulla Septentrionalis illius juris cum VViſigothicis Hiſpaniæ conveniant, benè colligit Bureus, illud hujus fontem eſſe: in multis enim & Suecicum Ius cum Romano convenire ipſe fatetur, quorum illud tamen ex hoc minimè profluxit. Sed de Gothico Iure ſatis.

## CAPVT VI.

### *De Legibus Burgundionum.*

PEnè autem eodem, quo VViſigothi tempore, & BVRGVNDIONES, gens itidem Germanica in Galliam progreſſa, leges cœpit conſcribere, curante Gundebado vel ut alij ſcribunt, Gundebaldo rege. Extat libellus legum hodieque, in procemio Iuris indicans & locum & tempus ſcripturæ. *In Dei nomine,*

*anno ſecundo regni domini noſtri glorioſiſſimi Gundebaldi regis. Liber conſtitutionum de præteritis & præſentibus atque in perpetuum conſervandis legibus, editus eſt ſub die IV Kal. April. Lugduni.* Notat doctiſſimus Lindenbrogius in uno mſ. non Gundebaldi ſed Sigiſmundi, qui filius fuit & ſucceſſor Gundebaldi, nomen legi: ſed indubiè id mendoſum, quum aliunde ſatis conſtet Burgundicam legem illam Gundebaldo aſcriptam eſſe. Certè in Capitularibus Carolinis, Legibus Langobardicis, alibique lex Gundebada laudatur: Quâ voce non aliam, quàm hanc Burgundionum, intelligi certum eſt. De hoc Gundebaldo ejuſque legibus Gregor. Turonenſis *l. II. hiſt. Francor. c. XXXIII. Ipſe* (Gundebaldus) *regionem omnem, quæ nunc Burgundia dicitur, in ſuo dominio inſtauravit, Burgundionibus leges mitiores inſtituit, ne Romanos opprimerent.* Vixit autem Gundebaldus Rex, cùm Francis Clodovæus, VViſigothis Alaricus ſecundus imperaret, regiamque habuit Lugduni; adeoque liber hic legum editus eſt non multò ante annum Chriſti quingenteſimum. Videntur autem nonnulla ab ipſo Gundebaldo emendata: qualia ſunt illa *titulo* XLII. & XLV. Avieno Conſule, & alia *titulo* LII. Agapeto Conſule conſcripta. Eſt autem Agapetus ille, qui in Faſtis conſularibus Hippatius nuncupatur, cujus conſulatus in annum D, ut Avieni in proximum, incidit. Additamenta autem illa duo fortè Sigiſmundo rege acceſſerunt. Id certum quod dicit Turonenſis, leges Gundebaldi Romanis vel priſcis Galliæ incolis admodum eſſe æquas. Plurima ſanè in ijs legas in favorem indigenarum, ut qui pari jure cum Burgundionibus cenſeantur.

CAPVT

# CAPUT VII.

## De Lege Salica Francorum.

SEd Burgundicæ illæ, ut & VViſigothicæ & Oſtrogothicæ leges fortaſſis minus ad nos pertinent, quum hi populi nunquam Germaniæ ſint redditi, & in peregrino ſolo jura conſcripſerint. FRANCORUM res & jura propius nos contingunt. Horum imprimis celebris eſt lex SALICA dicta. Quæ, quando, ubi, quibuſque ſit auctoribus lata, haud eſt difficile collectu ex antiquorum narrationibus. Sigeberti Gemblacenſis verba in *Chronico ad annum* CCCCXII hæc ſunt: *Franci uti cœperunt legibus, & legem Salicam dictaverunt, per quatuor gentis ſuæ proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus: VViſogaſt, Boſogaſt, Salogaſt, VVidogaſt: in villis Germaniæ Salechaim, Bodochaim, VVingehaim. Hi quatuor per tres mallos convenientes cauſarum origines ſolicitè tractantes, de ſingulis diſcutiendo, ſicut lex Salica declarat, iudicare decreverunt.* Breviter Ivo Carnutenſis: *Franci primum regem Pharamundum ſibi ſtatuunt, legibuſq; ſe ſubdunt, quos primores eorum VViſogaſtus, Boſogaſtus, Salogaſtus invenerunt.* Otto Friſingenſis *l. IV. cap. penult. Leges quoque VViſigaſtaldo, & Salogaſto auctoribus ex hinc habere cœpere. Ab hoc Salogaſto legem quæ ex nomine eius Salica uſque hodie vocatur, inventam dicunt. Hac nobiliſſimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc utuntur.* Planiùs, & fortè rectiùs, hæc habentur in utroque prologo legis Salicæ hodieque ſuperſtitis: quorum prior videtur ſcriptus Childeberto & Clothario regibus circa annum DC: disertè enim dicitur gentem Francorum *ad catholicam fidem nuper converſam*, & ultimos legis Salicæ

 emen-

emendatores laudat, Childebertum illum, & Clotharium reges. Poſterior ipſa Chlodovæi tempora videtur antecedere, ut qui nullam faciat mentionem emendationis per Chlodovæum, aut alium quenquam factæ, nec Francos ullâ laude, religionis ergò, afficiat. In poſteriore cauſa conſcriptæ legis ita refertur: *Placuit atque convenit inter Francos & eorum proceres, ut propter ſervandum inter ſe pacis ſtudium, omnia incrementa veterum rixarum reſecare deberent.* Ipſam legiſlationem ita narrat: *Extiterunt igitur inter eos electi de pluribus quatuor viri, his nominibus; VViſogaſtus, Bodogaſtus, Salogaſtus, & VVidogaſtus, in villis quæ ultra Rhenũ ſunt Salechaim, & Bodochaim & VVidochaim, qui per tres mallos convenientes, omnem cauſarum originem ſolicitè diſcutiendo tractantes, de ſingulis iudicium decreverunt hoc modo.* In priore hæc legas; *Gens Francorum inclyta, ad catholicam fidem nuper converſa, immunis quidem ab omni hæreſi, dum adhuc ritu teneretur barbarico, dictavit Salicam legem per proceres illius gentis, qui tunc temporis eiuſdem aderant rectores. Electi de pluribus viris quatuor, his nominibus: VViſogaſtus, Bodogaſtus, Salogaſtus & VVidogaſtus: in locis cognominatis Selechaim &c.* Hæc illi de lege Salicâ. Quod tempus ergo latæ legis attinet, incidit illud in ætatem Pharamundi, ut rectè dicit Ivo, quum nondum Chriſtianæ religioni nomen Franci dediſſent circa annum CCCCXII. In eo etiam plerique conveniunt: quatuor ex omni populo electos cum juris dicundi poteſtate: & veroſimile eſt apud Ivonem & Friſingenſem nomen unius & alterius excidiſſe, corruptumq; eſſe. Hos verò ex Principum ordine fuiſſe, qui ex reipubl. Germanicæ more jura per pagos & vicos dixere, & pòſt Comites ſunt dicti, haud eſt forte cur dubitemus; præſertim quia *Rectores* nuncupan-

pantur & *primores*. Videmus porrò conſtanter à pleriſq; loca nuncupata, ubi lata ſit lex: & quidem in Germaniâ aut Trans Rhenum id factum diſertè dici, & in *poſteriora prologo, & in Sigeberto*. Quod tamen meritò quis miretur, quum eâ ætate jam Galliam inſidere Franci cœpiſſent. Verum indubiè aliquid hâc in re datum antiquis penatibus. ſed & major populi vis ac multitudo hæſit etiamnum TransRhenum priſtinis ſedibus, hactenus in Galliâ tantum vicinis circa Moſellam locis occupatis. Per tres *mallos* conveniſſe autem legiſlatores illos nihil aliud ſignificat; quàm in tribus potiſſimis judiciorum locis (tale enim quid eſt *mallus*) coiviſſe: quo omnium Franciæ locorum jura, conſuetudines & receptas ſententias eò rectius ex omni populo intelligere, quidque horum æquum aut iniquum, poſſent expendere. A Salogaſto autem dictam legem Salicam, quod Friſingenſis ſcribit, id verò ridiculum eſt, non minus atque illud, quod à recentioribus nonnullis aſſeritur, dictum ita à ſale aut prudentia, vel uocem eſſe corruptam, pro Gallica. Cæterum Salios dictos jam olim magnam Francorum partem ex l. XVII Ammiani notum eſt: quorum ſedem antiquam fuiſſe prope Spiram & VVormatiam, inde collegeris, quod cum hinc eſſet oriundus Conradus II Cæſar Saliqui nomen invenerit. Fortè igitur & lex Francorum Salica eſt dicta, quod in villis Salicæ gentis ſit conſcripta. Neque enim Francos Salios dictos, vel à Salâ amne, vel à ſaliendo, ſed voce priſcâ Germanicâ libertatem notante, alibi oſtenditur.

Cæterum hanc legem Salicam inſequutis temporibus Franci multum auxerunt, ex parte & emendarunt. Autor præfationis primæ: *At ubi Deo favente Rex Franco-*

*rum*

*rum Chlodovæus florens, & pulcher, & inclytus primus recepit Catholicum baptiſmum: & deinde Childebertus & Chlodovæus & Clotarius in culmen regale pervenere, quicquid in pacto habebatur minus idoneum, per illos fuit lucidius emendatum, & ſanctius decretum.* Is Chlodovæus omninò eſt Chlodovæus magnus, qui victoriâ ex Alemannis ad Tolbiacum partâ Chriſtianiſmo eſt initiatus anno CCCCXIIX: Childebertus autem & Chlotharius fortè ſunt duo filij majores natu Chlodovæi, quorum ille Pariſiis, hic Sueſſionibus regiam ſedem collocavit, alter Celticæ alter Belgicę Galliæ imperans. Pene tamen crediderim intelligi potius Childebertum Auſtraſię regem Sigeberti filium qui pręfuit rebus illius provinciæ ab anno DLXXVII ad DXCVII. Nam quæ Salicæ legi ſubiunguntur decreta Childeberti regis, conſcripta ſunt Coloniæ, & lata partim Traiecti partim Atiniaci: quæ loca ad regnum Auſtraſiæ pertinent, quod tum temporis non in ditione Childeberti illius Clodovæi magni filij, ſed ejus fratris Theodorici fuit. Quæ tamen his decretis adduntur, Clotharium appellant germanum Childeberti: mox etiam ſequuntur quædam communi conſenſu Childeberti & Clotharij lata: inter Childebertum autem Sigeberti filium & Clotharium ſecundum nunquam ita convenit, neque eâ ætate fuit tum Clotharius ille, ut cum Childeberto patruele potuerit de legum negotio conſultare. Taceo, auctorem præfationis ſuprà laudatæ ita Chlodovæo ſubiungere Childebertum & Clotharium, quaſi proximè ſucceſſerint. Vt omninò nonnulla ſint profecta ab illis fratribus natu majoribus Chlodovæi magni filijs. Fortè verò & Theodericus ejuſdem Chlodovæi filius nonnulla addidit: ut enim mox audiemus etiam ille dici-

dicitur legem Francorum conſcripſiſſe, quo nomine *κατ' ἐξοχὴν* appellari olim ſolita eſt Lex Salica. Diſertè quoque teſtatur Eginhartus: ætate Caroli Magni duas fuiſſe Francorum leges. *Franci* (inquit) *duas habent leges plurimis locis diverſas.* Scilicet aliam Orientales Franci, aliam Occidentales: quorum illi Auſtraſiæ regibus paruerunt. Verum iſta Theodericiana (ſi qua eſt) legis Salicæ editio, hactenus fortè non prodiit in lucem. Quam Lindenbrogius edidit ad Francos Occidentales, Galliæ Celticæ & Belgicæ incolas, maximè ſpectare certum eſt. Hinc toties diſcrimen inter Francum & Romanum h. e. Gallum indigenam inculcatur, nullâ alterius populi mentione factâ. Fortè Heroldina editio alteram nobis legem Salicam protulit. Magna ſanè inter hanc & Lindenbrogianam editionem differentia deprehenditur. Tanti verò olim in omni gente Francica fuit Lex Salica pretii, ut hodieque ſolo illius prætextu fæminæ à regni Francici ſucceſſione excludantur. Verba legis ſunt *tit.* LXII *De terrâ Salicâ nulla portio hæreditatis mulieri veniat: Sed ad virilem ſexum tota terræ hæreditas perveniat.* Non loquitur illa quidem de regni negotiis, aut regiâ ſucceſſione, ſed de re agrariâ; etiam ad illas tamen controverſias admota eſt; cumprimis, quum de regiâ ſucceſſione ingens illa lis agitaretur inter Eduardum Anglum & Philippum Valeſium. Quæ tamen controverſia rectius potuiſſet decidi perpetuo uſu regni illius, quo ſemper à ſucceſſione regiâ excluſæ ſunt fœminæ, quàm iſtâ lege Salicâ: ut rectè monet Franciſcus Hotomannus *Francogall. c.* VIII. Verùm hoc obiter.

Cæterùm conferentibus legẽ Salicam cũ VViſigothicâ, fatendum omninò venit; illam ut ſermonis Latini puritate, ita & ſententiarum æquitate ab hâc longo intervallo

vallo ſuperari. In decretis tamen Childeberti multa ſatis rigidè propoſita, qualia ſunt de cædis & furti pœnis, quæ cum hactenus antiquo Germanico more fuiſſent pecuniariæ, impoſterum capitales eſſe iubentur.

## CAPVT VIII.

### *De Francorum Regno Auſtraſico.*

QVemadmodum autem ſibimetipſis leges ſcriptas tandem dederunt Franci, ita & paulatim earum uſum in populos Germaniæ à ſe devictos introduxerunt. In illorum autem numero primi fuere Alemanni & Bajoarij à Chlodovæo magno circa annum D. ſub jugum miſſi. Succeſſere in eandem fortunam Thuringi viginti quatuor circiter annis pòſt, Hermenfredo rege felici ſcelere interemto à Theodorico Chlodovæi filio quarto. Huic obtigerat à patris obitu regenda imperij Francici, per omnem Galliam & latiſſimas quaſdam Germaniæ provincias jam diffuſi, pars orientalis, Auſtraſia vel Auſtria ſemigermanicâ voce appellatâ. Semigermanica dico: neq; enim ab auſtro id nomen, ſed à Germanico *Oſt*, quod antiquis Germanis per diphthongum auſt fuit pronunciatum. Vnde illius ævi ſcriptoribus Auſtraſia vel Auſtria rectè audit Latinè, *regnum orientale*, quibus *regnum occidentale* eſt, omne quod Francici juris fuit per Galliam Celticam. Superat hodieque, ſi nonnullis credimus, utriuſque vocabuli ab antiquâ illâ Imperij Francici diviſione orti veſtigium in Neuſtria Galliæ, & Auſtriâ ſeu Oſterreich Germaniæ. Illa voce detortâ ex Germanico Weſterreich: hâc etiamnum inter Germanos integrâ, ſed

ſed verâ ſignificatione pene utrobivis obliteratâ. Videtur autem verius Auſtriam Germanicam eſſe ita dictam, non quòd Franciæ ſed Bavariæ ſit pars orientalis. Certè utraque provincia non niſi exigua portio, illa VVeſtraſiæ aut regni occidentalis, hæc Auſtraſiæ vel regni orientalis eſt; neutra olim ſimpliciter vel VVeſtraſia vel Auſtraſia aut Auſtria appellata. Hinc ſanè Marchiæ aut Marchionatus titulus Auſtriæ noſtræ ſemper olim adjunctus: quòd nimirum ſive Bajoarici Ducatus ſive regni Francici Orientalis limitanea provincia eſſet contra Pannoniam, eiuſque illâ ætate incolas Avaros, quibus Hungari ſucceſſerunt. *Marchia Orientalis* appellationem habet, Otto de S. Blaſio *in additionib. ad l. VII. Friſingenſis Cap. VI.* qui Marchiæ titulus pòſt in Ducatum & poſtremò Archiducatus dignitatem commutatus eſt. Nec verò olim ſoli Franci, ſed & Langobardi in Italiâ Auſtriam ſuam, & Neuſtriam habuerunt. Liquet id ex procemijs legum Luitprandi & Ratchiſi Langobardiæ regum, quæ infrà recitabuntur; ut alijs teſtimoniis non ſit opus.

## CAPVT IX.

### *De Legibus Alemannicis & Bajoarijs Francorum.*

VErum hæc ὡς ἐν παρόδῳ: ad Theodoricum redeamus Chlodovæi filium, qui primus ſeorſim Auſtraſiæ, collocatâ Metis regiâ ſede, imperavit. Ab hoc primùm videntur profluxiſſe Leges Alemannicæ & Bajoaricæ, quas hodieque habemus. Hic enim primus videtur victis illis à patre Chlodovæo populis leges dediſſe, quas poſt Childebertus; (qui

fortè eſt Sigeberti filius itidem Auſtraſiæ Rex) & Clotharius, (qui itidem forte eſt Chlotharius II & anno DCXIV Auſtraſiæ regnum occupavit) Dagobertus denique (Clotharij forte II filius) & locupletarunt & correxerunt. Sanè hæc quatuor regum, ut harum legum latorum, nomina recitantur ab auctore præfationis legibus Bajoaricis præfixæ. Nec vero abſimile eſt, eos, quos modò dixi, ſignificari. Certò tamen id ipſum haud aſſeveraverim. Forte enim Theodericus eſt ille, qui ex monacho factus Rex totius Francici imperij, Orientalis & Occidentalis, circa annum DCLXXIX; Childebertus eſt filius hujus Theoderici, qui poſt fratrem cœpit Franciæ rebus præeſſe anno DCXCVIII, ut Dagobertus huius ſucceſſor. Prius tamen malim aſſerere, ſi quid ſit aſſeverandum; quod poſteriores illi haut magnæ fuerint authoritatis, prævalente paulatim Majorum domus auctoritate, quodque inter Childebertum & Dagobertum illos nullus ſit Clotharius. Cæterùm quid ab his ſive illis regibus circa iſtas leges & Bajoaricas & Alemannicas ſit præſtitum nemo docet præter auctorem illius antè laudati prologi. Quare operæ fuerit pretium illum hîc audire. *Theodoricus Rex Francorum cùm eſſet Catalannis, elegit viros ſapientes, qui in regno ſuo legibus antiquis eruditi erant. Ipſo autem dictante iuſſit conſcribere legem Francorum & Alamannorum & Baiovariorum unicuique genti, quæ in eius poteſtate erat, ſecundum conſuetudinem ſuam: Addidit quæ addenda erant, & improviſa & incompoſita reſecavit, & quæ erant ſecundum conſuetudinem paganorum mutavit ſecundum legem Chriſtianorum. Et quicquid Theodoricus Rex propter vetuſtiſſimam paganorum conſuetudinem emendare non potuit, poſt hæc Childebertus Rex inchoavit, ſed Clotharius*

Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſiſſimus per viros illuſtres, Claudium, Chadum, Indomagum, & Agilulfum renovavit, & omnia vetera legum in melius tranſtulit, & unicuique genti ſcripta tradidit, quæ uſque hodie perſeverant. Additur; *Hoc decretum eſt apud Regem, & principes eius, & apud omnem cunctum populum Chriſtianum, qui infra regnum Mervvungorum conſiſtunt.* Hæc prologus. Legi Alamannicæ porrò hæc præfixa ſunt: *Incipit lex Alamannorum, quæ temporibus Chlotarij regis unà cum principibus ſuis, id ſunt* XXXIII *Epiſcopis, &* XXXIV *Ducibus, &* LXXII *Comitibus, vel cætero populo conſtituta eſt.* Vnde ſimul colligere eſt, non unius regis, ſed omnium procerum, totiuſque populi autoritate leges illas latas, adeoque legiſlatoriam poteſtatem non penes unum Regem fuiſſe, ſed omnem populum.

Quin imò ultimis MerVVungorum familiæ temporibus intantùm decrevit regia dignitas, ut & Duces ſuapte autoritate, in conſultis Regibus leges condiderint. Ejus notæ eſt DECRETUM TASSILONIS Ducis Bajuvariorum, quod legi illius gentis ſubjungitur. Initium certè illius decreti regiam aliquam autoritatem præ ſeſe fert. Niſi id factum dixeris ſingulari quodam Ducum illorum jure, utpote quum Taſſilonem alium antiquiorem à Childeberto Rege Francorum apud Bajoariam regem ordinatum ſcribat *P. VVarnefr. l. iv. c. iix.* Recitabimus autem ipſa Edicti verba, quo ſimul liqueat & tempus, & locus illius Decreti: quod partem antiqui Bajoarici Iuris conſtituit. *Regnante in perpetuum Domino noſtro Ieſu Chriſto, in anno verò* XXII *regni religioſiſſimi ducis Taſſilonis gentis Baioariorum, ſub die conſulum, quod erat* II *id. Octobr: atque anno ab incarnatione Dominica* DCCLXXII *Indict.* X *divinà præſtatus inſpiratione, ut omne regni ſui prænotatum*

*tatus princeps collegium procerum coadunaret, in villam publicam Dingolvingam nuncupatam; ut ibidem tàm regulare ordinaret in ſancto habitu cœnobium virorum & puellarum, quàm Epiſcopales moderaretur obſequias; inſuper gentis ſuæ inſtitutiones legum per primates Imperij, universâ conſentiente multitudine, quæ reperit diuturnitate vitiata, & quæ videbantur abſtrahenda evelleret, & quæ decretis placerent componenda, inſtitueret.* Hæc in Decreto illo. Annus autem iſte Chriſti notatus eſt quintus Caroli Magni, qui ſæpius rebellem tandemq; ſibi deditũ Taſſilonem hunc in monaſterium detruſit, Ducum dignitate ex Bajoaria prorſus tum è medio ſublata, quod latè narrant Hiſtoriæ Francicæ.

## CAPVT X.
### *De Francorum Legibus Ripuarijs.*

CIrca eadem autem tempora, quo Bajoaricæ & Alemannicæ, etiam RIPVARIAE leges videntur latæ; certè parem antiquitatem & ſcribendi ratio, & res ipſæ paſſim præ ſe ferunt. Sunt qui putent, hanc eſſe legem illam alteram Francorum, quã innuit Eginhartus ſcribens: *Franci duas habent leges plurimis in locis valdè diverſas.* Verùm me quidem dubium facit: Primò quòd Ripuarij in his legibus ſemper à Francis diſtinguantur; Secundò quòd diſertè Franci inter Ripuarios advenæ dicantur, ut *titulo XXXVI. l. I. Si quis Ripuarius advenam Francum interfecerit*; Tertiò quòd Franci in Ripuario pago ſuis legibus debeant judicari, *Tit. XXXI. l. III. Hoc autem conſtituimus, ut infra pagum Ripuarium tam Franci, Burgundiones, Alemanni, ſeu de quacunque*

*que natione commoratus fuerit, in iudicio interpellatus, ſicut lex loci ubi natus fuit, ſic reſpondeat.* Item *l. IV. Quod ſi convictus fuerit ſecundum legem propriam, non ſecundum Ripuariam, damnum ſuſtineat.* Scilicet Ripuarij dicti olim Ciſrhenani populi Rheno vicini, ſi non omnes, ſaltem qui Germaniam ſecundam Romanis dictam incoluerunt, quos ab antiquiſſimis uſque temporibus Germanicæ ut originis, ita linguæ fuiſſe conſtat, præſertim Romanorum ætate novis ſubinde colonis è Germaniâ Tranſrhenanâ hic collocatis, quod aliàs demonſtratur. Vnde id nominis, mihi quidem haut liquet. Neque enim temerè dixerim cum nonnullis, Ripuarios dictos à ripis fluminum, ad quas habitarunt: Riparij enim potius fuiſſent appellati: jam autem non Ripuarij tantum ſed & Ribuarii promiſcuè audiunt. Vt veroſimilius ſit, nomen eſſe Germanicum, illis temporibus cum multis aliis natum, vel certè ab imperito vulgo malè deflexum ab Latino Riparijs.

## CAPVT XI.
## *De Legibus Regum Langobardorum.*

HÆ leges ſcriptæ in Germanicis gentibus Tranſalpinis ante Carolum Magnum obtinuere. Cis Alpes verò, poſt Oſtrogothos, etiam Langobardi, poſteaquam à Narſete invitati Italiam cœperunt incolere, leges conſcripſere. Eſt & illa gens Germanica, tranſque Albim ætate Taciti vixit, præcipuâ nobilitate & virtute. Cæterùm leges primùm promulgarunt Rege Rothari anno ſeptuageſimo ſui in Italiâ regni, hoc eſt, anno Chriſti circiter DCXL. Diſertè Paulus

lus VVarnefredi *Hiſt. Longobard. l. iv. c.* XLIV. *Hic Rotharis Rex Langobardorum leges, quas ſola memoria & uſu tenebant ſcriptorum ſerie compoſuit, codicemq; ipſum Edictum appellari fecit. Erat autem iam, ex quo Langobardi in Italiam venerant annus ſeptuageſimus.* Ex VVarnefredo habet Hermannus Contractus illa: *Anno* DCXXXVII. *Per hæc tempora Rotharis Rex Longobardorum, quamvis Arrianus, iuſtitia tamen amator, leges Langobardorum ſcripſit.* Sanè elogium illud Rotharis idem VVarnefredus *l. i. c. xxi.* cum de VVichone rege quædam narraſſet, addit: *Hoc ſi quis mendacium & non rei exiſtimat veritatem, relegat prologum Edicti, quem Rex Rotharis de Longobardorum legibus compoſuit.* Carolus Sigonius notat *l. ii. de regno Italiæ*, tabulas Edicti promulgatas Papiæ anno DCXLIII, die x, Kal: Decembris. Recitat idem partem proœmij: ex quo pauca hæc, & nos apponemus: *Incipit Edictum quod renovavi cum primatibus meis judicibus, ego in Dei nomine Rotharis Rex, vir excellentiſſimus, ſeptimus decimus Rex gentis Longobardorum, anno regni mei, Deo propitio, octavo, ætatiſq; meæ triceſimo octavo, indictione ſecundâ, & poſt adventum in provinciam Italiæ Langobardorum, ex quo Alboinus tum temporis Rex procedente divinâ clementiâ advenit, anno ſeptuageſimo ſexto, feliciter, datum Ticini in Palatio.*

Poſt Rotharim addidit quædam illi Edicto Grimoaldus Rex. Paulus VVarnefredi *l. v. c. xxxiii. Hic Edicto, quod Rotharis Rex compoſuerat, aliqua quoque capitula legis, quæ ei utilia viſa ſunt, adiecit.* Id anno DCLXVIII factum prodit Sigonius cum hoc proœmio: *Superiore pagina hujus Edicti legitur, quod adhuc annuente domino memorare poterimus, de ſingulis cauſis, quæ præſenti non eſſent adfictæ, in hoc Edicto adjungere debeamus, ita ut cauſæ, quæ judicatæ & finita*

*finita ſunt, non revolvantur. Ideo ego Grimoaldus vir excellentiſſimus Rex gentis Longobardorum anno, Deo propitio, ſexto regni mei, menſe Iulio, Indictione undecimâ, per ſuggeſtionem Iudicum, omniumq́ conſenſum, quæ illis dura, & impia in hoc Edicto viſa ſunt, ad meliorem ſenſum revocare prævidimus.*

Luitprandus quoque Rex eidem VVarnefridi filio *l. VI. c.* LIX, dicitur *legum augmentator*. Carolus Sigonius de rege illo in hæc verba ſcribit l. III, de regno Italiæ. *Omnes ex regni partibus Iudices Longobardos in regiam evocavit, eoſque de novo jure conſtituendo conſuluit. Itaque re ſequenti anno confectâ, novæ leges ad antiquam Rotharis Edictum adiunctæ, Indictione* XI *pridie Kalendas Martias divulgatæ ſunt, anno adhuc illius primo, ut ipſe in earum proœmio ſcripſit. Recolimus, quoniam robuſtiſſimus deceſſor noſter, atque eminentiſſimus Rotharis rex, ſicut ipſe eſt in ſcriptis effatus ſuis, ſuperius in Longobardis Edictum renovavit, atque inſtituit, ubi & prudenter inſerere curavit dicens, ut quiſque Longobardorum Princeps ejus ſucceſſor ſuperfluum quid ibi reperiret, ex eo ſapienter auferret, & quod minus inveniret, Deo adſpirante, adjiceret. Poſt hunc enim glorioſiſſimus Grimoald rex, quæ illi ſecundum Dominum placita fuerunt, minuit & ampliavit. Cujus nos normam ſecuti, divinitus, ut credimus, inſpirati, ſimili modo ea, quæ iuxta Dei legem nobis congrua apparuerunt, ſubtrahere & addere decrevimus, ſicuti & in præſenti paginâ ſcribere iuſſimus. Ob hoc ego in Dei omnipotentis nomine Luitprand, vir Excellentiſſimus, Chriſtianus & Catholicus Deo dilectæ gentis Longobardorum rex, anno, Deo propitio, regni mei primo, pridie Kal. Martias, indictione undecimâ, una cum omnibus iudicibus de Auſtriæ & Neuſtriæ partibus, & de Tuſciæ finibus, cum reliquis fidelibus meis Longobardis, & cuncto populo aſſiſtente, hæc no-*

*bis juxta Dei timorem; atque amorem ſancta comparuerunt & placuerunt.*

De Rotharis ſucceſſoribus illis in hæc verba loquitur doctiſſimus Lindenbrogius *in prolegom: ad Codic. leg. antiquarum. Rotharim ſecutus eſt Grimoaldus Rex, & VI regni ſui anno, menſe Iulio, Indictione XII, quæ in priore Edicto emendanda viſa fuerunt, per ſuggeſtionem iudicum correxit & renovavit. Hunc Liutprandus, qui & ipſe ſtatim ab anno regni ſui primo uſq; ad annum XXII, die Kal: Mart. Indict. III, in Edicti pagina multo plura, quàm priores duo, adiunxit; quæ in MSS. Codd. ſuis ephigraphis diſtincta leguntur.* Hæc Lindenbrogius.

Poſt hos nonnulla Ratchiſus & Aiſtulphus ediderunt. Verùm hæc règum illorum Edicta, an ſeorſim ſint integra edita, ignoro. Autor tamen Codicis Longobardici unicuivis leges ſuas appoſitis nominibus adſcripſit: ut etiam inde liceat intelligere, quid à quolibet illorum Regum ſit profectum.

De Ratchiſo aut Rachi Sigonius ita ſcribit: Poſtero verò anno, is erat DCCXLV, ut jus in regno ſanctiſſimè coleretur, adhibitis omnibus Longobardorum ex Auſtria Neuſtriaque Iudicibus, leges veteres diligenter perpendit, quæque correctione egere judicavit, ea novis legibus latis ex eorum ſententia emendavit, atque has ſequenti anno Kalendis Martiis, anno regni ſui ſecundo, indictione quarta decima, promulgavit, cum hoc prooemio: *Quoniam glorioſiſſimus, & præcelſus Rotharis huius Longobardorũ gentis Princeps, ſibi Deo inſpirante, leges inſeruit atque innovavit, ut omnes intentiones, & diſſenſiones malorum regali ſtudio reſecaret; & quidem ſtatuit, ut*

*cuncti*

*cuncti ſucceſſores ejus, quæ ſibi, Deo inſpirante, aſpera & dura cognoſcerent, illa ad mollitiem, & pietatis adducerent gratiam. Deinde ſucceſſor eius Grimoald præcellentiſſimus rex, dum ſtudioſè ac vigilanter ſingulorum conſiderans neceſſitates, quæ illis melius placuere, ad cultum ſalutis augendo, minuendoq́; adduxit. Poſt hunc verò glorioſiſſimus, & orthodoxæ fidei cultor, atq; huius gentis gubernator, & noſter per Dei omnipotentiam nutritor Luitprand eximius, ac præcelſus, ac ſapientiſſimus Princeps, perſiſtens in Dei operibus, & quotidianis vigiliis, omnipotentiâ, & ſobrietate ornatus, ſicuti à Deo promeruit per ipſius inſpirationem omnia dicentem, reliquit, & in Edicti pagina cum ſuis Longobardis iudicibus confirmavit. Idcircò per redemtoris noſtri providentiam ego divino auxilio fretus Rachis præcellentiſſimus, & eximius Princeps, anno regni mei ſecundo, die Kal. Martiarum, indictione quarta decima, dum cum gentis noſtræ, id eſt, Longobardorum iudicibus tam de Auſtriæ, quàm de Tuſcia, vel Neuſtriæ finibus univerſa, quæ à deceſſoribus noſtris ſtatuta ſunt, ſolicitè conſideraſſem, quædam ibi iuſta, & quædam purganda cognovimus.* De Aiſtulpho idem ad annum DCCLIV: Interim Aiſtulfus omni quaſi belli cura ſolutus, regno legibus cumulando vocavit. Itaq; Kal: Martijs, Indictione VII leges ad Edictum adiectas cum hoc procemio divulgavit. *Dei omnipotentis auxilio ego Aiſtulfus præcellentiſſimus Catholicus Longobardorum rex, præceſſorum noſtrorum omnia inſtituta perpendens, quædam illi reperimus non adnexa, de quibus maximus error noſtrorum Iudices addenda iudicia volebant. Ideo anno feliciſſimi regni noſtri in Dei nomine quinto in die Kal. Martiarum, indictione ſeptimâ, convocatis ex diverſis partibus regni noſtri pertinentibus iudicibus, communi conſilio in Edicti pagina affini ſtatuimus, quæ*

 *præ-*

*præcellentia noſtra ſecundum dominum juſta comparuerunt.*

Vbi obſervandum, etſi Regibus illis magna Italiæ pars fuerit ſubdita, non tamen Italos indigenas coactos Ius Longobardicum obſervare, ſed relictos priſcis legibus Romanis, utut Longobardicæ Romanis fuerunt prælatæ. Significatur hoc lege Luitprandi Regis, quæ extat libro I Cod. Longobardici tit. XXIX l. II. *De Scribis hoc proſpeximus, ut qui chartam ſcripſerit ſive ad legem Longobardorum, quæ aptiſſima & penè omnibus nota eſt, ſive ad legem Romanorum, non aliter faciant, niſi quomodo in illis legibus continetur. Nam contra legem Longobardorum aut Romanorum non ſcribant. Quod ſi neſciverint, interrogent alios: & ſi non potuerint ipſas leges plenè ſcire non ſcribant chartas ipſas.* Idem Luitprandus ſanxit, ut Vxores lege mariti vivant, Romani ſcilicet ſecundum legem Romanam, Longobardi ſecundum Longobardorum. Sanctio habetur *tit. II libri II. Cod. Longob.* Huc fortaſſis ſpectant illa, quæ frequenter occurrunt: *Si quis Longobardus:* item: *qui vivit ſecundum legem Longobardicam.* Sed quænam fuerint illæ Romanæ leges infrà exponemus.

## CAPVT XII.

### *De Caroli Magni additamentis ad Leges Salicas, Bajoaricas, & Longobardicas.*

PErvenimus ad tempora Caroli Magni: qui primus omnem penè Germaniam cum Galliâ & Italiâ imperio continuit. De illo Eginhartus rerum Caroli callentiſſimus: *Poſt ſuſceptum Imperiale nomen cum adverteret multa legibus populi ſui deeſſe (nam Franci du-*

*ei duas habent leges, plurimis in locis valdè diverſas) cogitavit, quæ deerant addere & diſcrepantia unire, pravaquoque ac perperam prolata corrigere. Sed in ijs nihil aliud ab eo factum eſt, quàm quòd pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ ſub eius ditione erant, iura, quæ ſcripta non erant, deſcribere, ac literis mandari fecit.* Hinc ſub finem legis Salicæ ſcribitur: *Incipiunt capitula, quæ ad legem Salicam Domnus Auguſtus Karolus anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCCIII, *Imperij verò anno* III *proponendo addere iuſſit.* Illa additamenta, quantæ voluerit eſſe auctoritatis Carolus, liquet ex ijs, quæ Codic. Longobardici l. III. tit. XXXI, habentur. *Generaliter omnes admonemus, ut capitula quæ præterito anno legi Salicæ cum omnium conſenſu addenda eſſe cenſuimus, iam non ulterius capitula, ſed tantùm leges dicantur, imò pro lege Salicâ teneantur.*

Poſt Decretum Taſſilonis legibus Bajoaricis ſic additur: *Incipiunt capitula, quæ Domnus Carolus Sereniſſimus Imperator ad legem Bajoariorum addere iuſſit.*

Alemannicis & Ripuarijs legibus quidnam Carolus adiecerit haud perinde conſtat. Namque in ijs Caroli nomen haud reperias. Feruntur tamen ejus nomine tabulæ, ex quibus colligas Caroli etiam circa has leges operam. Haud multò pòſt illas adferemus.

Certius eſt leges novas ad Edicta Langobardorum, quas quidem præſens tum uſus deſiderabat, ab illo adiunctas. Eæ leges teſte Carolo Sigonio *l.* IV. *de regno Italiæ*: adhuc Mutinæ leguntur, inſertæ vero ſunt Capitulari Lotharij Cæſaris cum hoc procemio: *Carolus divino nutu coronatus, Romanum regens Imperium, Sereniſſimus Auguſtus; omnibus Comitibus, Gaſtaldijs, ſeu cunctis Reipubl. per provinciam Italiæ à noſtrâ manſuetudine præpoſitis*

*anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCCI, *Indictione IX, anno regni noſtri in Francia XXXIII, in Italia XXVIII. Conſulatus autem noſtri primo. Cùm in Italiam propter utilitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ, ac provinciarum diſponendarum veniſſemus, multa atque diverſa per urbes ſingulas ante conſpectum noſtrum quæſtiones venerunt, tam de eccleſiaſticis, quàm de publicis & privatis rebus per ea, quæ ſtatim recitata, ex Romanâ, ſeu Longobardâ lege competenti ſententiâ, certamina ſunt. quorum Iudicialis ſententia à legislatoribus aut penitus omiſſa eſt, aut à poſteris oblivioni tradita. Quocirca nos conſiderantes utilitatem noſtram, & populi à Deo nobis conceſſi, ea quæ ab anteceſſoribus noſtris regibus Italiæ in Edictis legis Longobardicæ ab ipſis edita, prætermiſſa ſunt, juxta rerum & temporum conſiderationem addere curavimus; ſoliciti, ut neceſſaria quæ legi defuerant, ſupplerentur, ut in rebus dubijs non quorumlibet arbitrium, ſed noſtræ legis auctoritas prævaleret.* Hæc additamenta videtur ſignificare Carolus epiſtolâ illâ, quam ad Pipinum filium Italiæ Regem perſcriptam ex libro legum Francicarum (quo ille nomine fortè intelligit Capitulare Lotharij: ſanè & ibi legitur) ad annum DCCCII Sigonius recitat his verbis: *Audivimus etiam, quod quædam Capitula, quæ in lege ſcribi juſſimus, per alia loca aliqui ex noſtris, ac veſtris dicunt, quod nos nequaquam hanc cauſam per noſmet ipſos conditam habemus, & ideo eam nolunt obedire, nec conſentire, neque pro lege tenere. Tu valdè noſti, quomodo vel qualiter tecum locuti ſumus de ipſis Capitulis, & ideo tuam admonemus amabilem dilectionem, ut per univerſum regnum tibi à Deo commiſſum ea nota facias, & obedire atque implere præcipias.*

Non abſimile quoque vero eſt, quod ab eodem Sigonio alibi proditur, Carolum legem etiam Salicam Italiæ

Italiæ intuliſſe. Novos enim colonos Francos, nullibi niſi ſuis legibus vivere hactenus aſſvetos, devicti à ſeſe Langobardici regni ſtatutis ſeſe ſubieciſſe, nemo crediderit. Quumque multò pòſt Salicam legem in Italiâ conſtet obtinuiſſe, hoc initio cœpiſſe illam veriſimile eſt.

Non tantum verò ipſemet Carolus, ſed & Pipinus filius, quem pater regni Italici ſocium vivo ſibi adſciverat legi Longobardicæ quædam addidit. Etenim illa, quæ Pipini nomine in codice Longobardico leguntur hujus ſunt; qui perperam audit Imperator, cum non niſi regio titulo à patre fuerit inſignitus.

## CAPVT XIII.

### *De Saxonum, Friſiorum & Thuringorum legibus juſſu Caroli Magni conſcriptis.*

PRæter additamenta illa priſcarum legum etiam prorſus novas tulit idem Carolus Magnus. Id audivimus modò dicentem ipſum Eginhartum. *Omnium nationum, quæ ſub eius ditione erant, iura, quæ ſcripta non erant, deſcribi ac literis mandari fecit.* Eas leges Germanicâ linguâ eſſe editas, ex ſequioris ævi chronologis ſcribit Felix Faber Monachus Vlmenſis *hiſtoria Svevorum lib. 1. c. 111. Dedit etiam Carolus Teutonicis quaſdam leges in ſuo idiomate, quæ adhuc habentur.* Verùm hujuſmodi leges Germanicè à Carolo ſcriptas, nemo alius teſtatur, vel viſas ſibi, vel alibi ſupereſſe. Tum verò conſtat nihil temerè Germanica lingua illâ tempeſtate perſcriptum eſſe. Itaque hoc quidem tanquam fabuloſum reijciatur. At de Eginharti fide non eſt quod dubitemus.

Si verò Carolus omnibus gentibus ſubditis, quibus nullæ hactenus leges ſcriptæ fuerant, jura præſcribi curavit, utique & Saxonibus & Friſiis ſcriptas leges illum dediſſe, neceſſum eſt: quórum hos jam tùm Carolus Martellus avus ac Pipinus pater ſubegerant, illos ipſemet difficili ac longo bello domuerat. Neuter ſanè populus adhuc liber ſuäpte ſponte leges conſcripſit; utpote rudis etiamnum & ſcribendi, ſaltem Latinè, imperitus. Non itaque ante Carolum Saxones quidem ſcriptis legibus potuerunt uti; nec de Friſiis quiſquam id ipſum memorat. Et quidem apud Saxones vetus & recepta fama eſt, legum à Carolo Magno conditarum. Epko Repkovius *Prologo Speculi Saxonici* teſtatur id diſertis verbis: vixit autem circa confinia ſeculi XII & XIII, ut infra oſtendetur. Sæpe idem memorat Auctor Gloſſæ in Speculum illud, qui non dubitat affirmare *ad Librum III. tit* LXXXII leges Saxonibus à Carolo datas Saxenburgi, anno Chriſti DCCCX, Imperij anno decimo die Februarij decimo, uti quidem habet editio Lipſienſis, anni XLI poſt milleſimum quingenteſimum. Crancius enim legit *annum Imperij ſeptimum*, auctoremque gloſſæ etiam παραχρονισμοῦ ergò graviter increpat. Cæterum niſi aliunde nobis conſtaret de legibus Saxonum Carolinis, Epkonis illius & Gloſſatoris fide haut profecto liceret id affirmare. Tanta enim illorum hominum eſt ἀνιστορησία, & in pntidiſſimis fabulis ſive comminiſcendis, ſive credendis væcordia, ut nihil veteris quidem hiſtoriæ, non peregrinæ tantum, ſed ne Saxonicæ quidèm, tutò ab illis liceat petere. Quod jam tum Alberto Crancio, magni judicij viro, eſt notatum cum alibi, tum *Saxonia l. II*, c. XXI, Sanè ſi hâc in re

fides habenda illis autoribus, credendum quoq; fuerit Conſtantinum Magnum Saxonibus dediſſe leges: quod aſſeritur *in proœmio Speculi* & anile commentum eſt. Cæterum Saxonibus leges datas à Carolo, non eſt quod dubitemus, multò minus, ut cum Cranzio *loco citato* negemus. Sanè non abs re ſunt, quæ ille obijcit: *quod diligentiſſimi ſcriptores illorum temporũ nullam eius rei faciant mentionem, cùm minora multò plurima commemorent; quodq; haud fuerit in populo barbaro illa civilitas, ut leges initiò requirerent præter eas, quæ univerſo orbi ſatis erant.* At ne requirentibus quidem præſcribere leges Carolus potuit. Iamque ſuprà audivimus Eginharti verba de legibus, omnibus ſubditis populis à Carolo præſcriptis, quos inter primo penè loco fuere Saxones. Fortè liceat idem ipſius Caroli verbis docere. Fertur enim eius conſtitutio de ſede & judicio regio Aquiſgranenſi, his inter alia verbis utens: *Prout cunctis placuit prudentioribus Regni noſtri, legem Saxonum, Noricorum, Suevorum, Francorum, Ribuariorum, Salicorum, ſicut mos & poteſtas Imperatorum eſt, & omnium anteceſſorum meorum ſemper fuit, diſtinxi, diſtinctam ſub authoritate regiâ & imperatoria ſtabilivi, non ex meâ adinventione vel corde prolatam, ſed communi conſilio à me renovatam & auctam in melius, ſicut patres & prædeceſſores mei feciſſe perhibentur &c.* Verum equidem non utar illo teſtimonio; quoniam tota illa conſtitutio admodum mihi ſuſpecta eſt, cùm ob alia, tum ob varias loquendi rationes ſeculo Carolino incognitas, certè non uſitatas.

Vt verò hoc certum, ita ſtultum eſt creditu, omnia illa, quæ Speculo Saxonico continentur uſque *ad lib. III, art.* LXXVIII à Carolo eſſe conſtituta: ſtultiſſimum,

illa omnia ab ipſo Carolo edita eſſe; quæ tamen ab illius Speculi gloſſatore, & nonnullis interpretibus aſſeruntur. Scilicet abundè conſtat, Epkone Repkovio auctore Codicem illum conſcriptum cccc poſt Carolum annis; ipſe autem ille Epko teſtatur, ante ſe neminem jus Saxonicum literis mandaſſe. Quod etſi omni ex parte verum non ſit, docet tamen, illo demum tempore pleraq; iſta Saxonum jura ſcribi demum cœpiſſe, adeoq; non ex monumentis antiquis Carolinis deprompta eſſe, ſed ex receptis moribus, quos fama tum in Carolum inſtitutorem retulit. Taceo plurima, ad rempublicam cumprimis pertinentia, in Speculo iſto reperiri, quæ longo demum poſt Carolum intervallo initium ſumſiſſe, nemini rerum Imperii paulò peritiori ignotum eſt. Itaque, ut ſint in illo Speculo nonnulla jam Caroli ætate uſitata, omnia tamen eam vetuſtatem nequaquam præ ſe ferunt. Neque verò ſequiori illâ ætate, omnis veteris hiſtoriæ imperitâ, inſolens fuit multa & pueriliter fingere & in Carolum ac Conſtantinum, magnos illos Cæſares, autores referre. Certè fabuloſum quoque & commentitium eſt privilegium, quod pro libertate ſuâ, neſcio quâ, ceu à Carolo latum Friſii mei circumferunt. Non eſt huj⁹ inſtituti ineptias etiã illius anilis commenti prolixiore ſermone perſtringere; eſtq; jam tum eruditè id factum ab Vbbone Emmio populari meo & viro clariſſimo.

Ad leges Saxonum ac Friſiorum verè Carolinas potiùs pergendum. Et vero eſt hodieque in manibus Lex Friſiorum & Saxonum ab Ioanne Baſilio Heroldo cum aliis primùm edita; utraque inſignis antiquitatis, & diſertè Francorum Reges dominos agnoſcens. Hæ itaque potius videantur eſſe

illæ,

illæ, quas Carolus Magnus Friſiis & Saxonibus promulgavit. Certè fallitur Lindenbrogius, *harum legum & membranas, & nimis vetuſtatem Caroli Magni ætatem antecedere videri*, exiſtimans. Quis enim uſus Latinæ vel linguæ vel ſcripturæ ſaltem apud Saxones fuit, ante Carolum? quis uſus Chriſtianæ religionis? quæ auctoritas regni Francorum? tota verò hæc Saxonum lex Latinè ſcripta eſt. De obſervatione feriarum Eccleſiaſticarum, & cultu Dei Chriſtiano agitur *lege* VIII. *& IX capitis ſecundi.* Lex prima *Capitis tertij* ita habet: *Qui in regnum vel in Regem Francorum, vel in filios eius de morte conſiliatus fuerit, capite punietur.* Quæ autem Saxonum eadem penè ratio eſt Friſiorum: utut jam paulò ante Caroli imperium cœperint in parte gentis illius, quæ inter Flevum ſcilicet & Lavicam habitat, Chriſtianæ pietatis initia. Certè Friſiorum illa lex ejus eſt vetuſtatis, ut & Chriſtianiſmi pariter, & ſuperſtitis adhuc idololatriæ, eximia veſtigia exprimat. Chriſtianiſmi quidem *lege prima capitis decimi quarti*: Idololatriæ *lege ultima, in Additionibus* quæ vocantur *Sapientum*. Poſterius fortè meretur etiam hîc legi. *Qui fanum effregerit, & ibi aliquid de ſacris tulerit, ducitur ad mare, & in ſabulo, quod acceſſus maris operiri ſolet, finduntur aures eius, & caſtratur, & immolatur Dijs, quorum templa violavit.* Mirum ſanè ſub regibus Chriſtianis, & acerrimis Chriſtianiſmi propagatoribus, tantum priſcæ ſuperſtitioni fuiſſe indultum; verum indubiè licentia hæc non multò pòſt deſiit. Fortè tamen hæc lex aliundè irrepſit: dictio ſane eſt ſolito elegantior.

Apparet verò utramque legem & Saxonum & Friſiorum legentibus, non mutatam à Francis (niſi fortè in

paucis Chriſtianæ religioni nimis adverſis,) receptas populorum illorum conſuetudines, ſed tantum jura hactenus uſitata iuſſu Caroli rudiier ſcripto eſſe comprehenſa; quod Eginhartum etiam audivimus affirmantem. Hinc illa in Saxonum lege *Capit.* VI. *&* VIII. differentia juris circa dotem & acquiſita, iuxta tres Saxoniæ populos Oſtfalos, Angrivarios, & VVeſtfalos. Pertinet eodem frequentiſſima illa in lege Friſiorum cautio; quid obtineat inter Laubacham, & VViſeram, inter Flehum & Laubacham, inter Fli, vel Flehum, & Sincfalam. Eſt autem Laubacha & Fli, Lavica amnis, & Sinus Flevus. Hoc Vulemarus, & Saxmundus, à quibus *Additamenta Sapientum*, quæ appellantur, ſunt prodita, quidquam præter receptos Friſiorum mores in ſcripta tranſtulerunt; ſive ipſi Friſii fuerint, ſive Franci, ad inquirendas rectiùs priſcas Friſiorum conſuetudines, poſt promulgatam primæ editionis legem, miſſi. Quorum poſterius veroſimile facit, quod ejuſdem Vulemari nomen in lege etiam Angliorum reperiatur.

Eſt autem & de illa lege nonnihil dicendum. Nimirum in codice antiquarum Germanicarum legum ab Heroldo & Lindenbrogio edito, lex aliqua hoc titulo invenitur: *Incipit lex Angliorum, & VVerinorum, hoc eſt, Thuringorum*; conſtans capitibus XVII, & additamento Vulemari ad caput II. Verum Anglios & VVerinos eſſe Thuringos haud temerè cuiquam perſuadebitur. Apud Tacitum libro *de moribus Germanorum* iunguntur quidem *Angli & Varini, & Eudoſes, & Nuithones.* Sed Anglos ex Cimbrica cherſoneſo conſtat in Britanniam migraſſe, & libro III *Epiſtolarum* Theodorici Oſtrogothorum regis apud Caſſiodorum, Guarnorum,

h. e. Varinorum Rex à Thuringorum rege diſtinguitur. Neque, quod ſciamus, alibi Angliorum & Varinorum nomine Thuringi ſignificantur. Thuringorum verò nomen circa IV & V ſeculi Chriſtiani confinia jam floruit: certè Francis jam olim tanquam vicinis, & pòſt ſubditis, fuit notiſſimum. Vt proinde vero ſit abſimile à Francis Thuringos inſolentibus vocabulis fuiſſe appellatos. Neque eſt, cur credas, Anglos intelligi Britanniæ incolas: ut quibus Franci nunquam imperaverint, adeoque nec leges potuerint præſcribere. Multò minus intelliguntur reliquiæ Anglorum, aut potiùs veteris Angliæ in Cimbrica Cherſoneſo incolæ. Hi enim, illâ quidem tempeſtate, etiam ex pacto, quod inter Carolum, & Godfridum Danum de limitibus Saxoniæ & Danici regni eſt initum, Danorum imperio paruerunt. Quid itaque de inſcriptione illâ ſit æſtimandum, haud facilè dixeris. Fortè Angliorum & Varinorum nomen ab imperitâ manu irrepſit, lexque illa verè eſt Thuringorum. Sanè etiam huic populo datam à Francis legem quis dubitet? Mirum tamen, ſi Caroli demum ætate ſit factum, cum tanto temporis ſpacio, à Theodorico uſque rege Auſtraſiæ, Thuringi in Francorum fuerint ditione; ab Auſtraſiæ autem regibus diu ante & Alemannis, & Bajovarijs devictis leges & jura ſint præſcripta.

## CAPVT XIV.

### *De legibus Capitularibus civilibus & Eccleſiaſticis Caroli Magni.*

NEquidem ita contenta fuit Caroli Magni in ferendis legibus diligentia, ſed cum more anti-

quo gentis Francicæ quotannis penè concilium populi cogeret, multa etiam tum ſanxit ab omnibus obſervanda. Verùm illa non videntur pari dexteritate in chartas tranſlata eſſe. Certè iam olim non multò poſt Carolum plæraque ignorata ſunt. Itaque ex ſuperſtitibus tum ſchedulis colligere huc illuc diſperſa decreta coacti ſunt, qui id negotij ſibi ſumpſerunt Ludovici Pij ejuſque filiorum tempeſtate. Sunt tamen etiam ſic nonnulla ad noſtram memoriam ſervata. Retulit iſthæc ætate Ludovici in librum tertium ſuum Anſegiſus quarto libro appendice ſecunda adjungens eas. Carolinas leges civiles quæ minus perfectæ viſæ ſunt. Non dubium verò eſt, quum latæ ſint in conventu totius populi, valuiſſe has non in Germania minus quàm alibi.

Præter hæc idem Carolus & Eccleſiaſticas leges plurimas promulgavit. Nondum ſcilicet orbi perſuaſum erat ſolis Pontificibus datam ferendarum Eccleſiis legum poteſtatem; ſed optimi quique Regum & concilia Epiſcoporum indixerunt, & iiſdem à ſeſe coactis præſederunt & denique ſuo nomine, ſi quid placuiſſet, edidere. Videntur autem Carolinæ Eccleſiaſticæ leges duorum eſſe generum: aliæ ſcilicet prorſus novæ, aliæ de antiquis canonibus & decretis excerptæ & redintegratæ. Sunt autem Caroli auctoritate celebrata Epiſcoporum concilia, præcipuè annis ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo & quarto, octingenteſimo item nono & decimo tertio, ceu apparet ex Annalibus Francicis & horũ exſcriptore Aimoino. Cæterùm quantũ liquet ex iiſdem Annalibus, in concilio anni DCCXCII. habito Regini aut Ratiſbonæ, actum tantummodo eſt cum Felice Orgelitano Epiſcopo, quòd ille Chriſtum

ſecun-

ſecundum humanam naturam filium Dei adoptivum dixiſſet. Similiter biennio pòſt, Francofurti ad Mœnum quod celebratum eſt concilium amplum quidem fuit Epiſcoporum numero, trecentis ex omni Francorum regno, quod tum latiſſimè patuit per Galliam, Germaniam, Italiam & Hiſpaniam, in unum congregatis, quale aliquot ſeculis occidentalis Eccleſia non viderat; ſed nè tum quidem de alijs eſt actum quàm de Felicis & Elipandi ſententiis deque imaginum cultu ac Synodo Nicænâ ſecundâ. Quocirca in neutro concilio videntur canones conditi de moribus: neque hodie ſupereſt quod huc faciat, etſi & libellus ſynodicus contra Felicem & Elipandum & quatuor libri ad Adrianum Papam adverſus ſynodum Nicænam ſcripti, cum Actis pleriſque Francofurtenſis concilij hodieq; manibus verſentur. In Aquiſgranenſi concilio de Eccleſiæ ſtatu reformando actum quidem, nihil tamen tum decretum eſſe, diſertè memorat autor Annalium Francicorum ætati illi proximus. Cum enim narraſſet, præcipuè de proceſſione Spiritus S. ibi actitatum, addit: *Agitatum etiam eſt in eodem concilio de ſtatu Eccleſiarum & converſione eorum, qui in eis Deo ſervire dicuntur, nec aliquid tamen definitum eſt propter rerum, ut videbatur, magnitudinem.* At quæ anno DCCCXIII varijs locis juſſu Caroli concilia ſunt celebrata, illa omnia canones plurimos Eccleſiaſticos dederunt. Auctor Annalium: *Concilia quoque juſſu eius ſuper ſtatu Eccleſiarum corrigendo per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt: quorum unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilloni, quintum Arelati congregatum eſt. Et conſtitutionum quæ in ſingulis factæ ſunt collatio coram Imperatore in illo conventu habita, quas*

*qui noſſe voluerit, in ſupra dictis civitatibus invenire poterit; quanquam & in archivo palatij exemplaria earum habeantur.* Eadem penè verba habet Regino, tantùm his mutatis: *Conſtitutiones quæ in ſingulis factæ ſunt, ab Imperatore confirmata ſunt.* Exſtant hodieque illorum conciliorum canones: ex quibus Moguntini cumprimis per Germaniam indubiè magnæ ex eo fuerunt auctoritatis, confirmati quippe auctoritate regiâ & iuſſi obſervari.

Præter hos verò novos canones, à Carolo quidem nulli alii per Epiſcoporum concilia videntur promulgari. In alijs tamen conventibus non dubito leges etiam Eccleſiaſticas interdum latas eſſe. Sanè Benedictus Levita *l.* VI, *cap.* XXV recitat *Capitularium Dominicum datum anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCCVI *ad Theodonis villam, & Imperij Domni Caroli* VI. Item cap. CCLXXXV quædam habet ex capitulis Caroli Imperatoris VVormatiæ generaliter decretis. In Additione quartâ Ludovici Pij poſt capitul. LXXXV, ita legitur: *Anno feliciter* XI *Regni Domni noſtri Caroli glorioſiſſimi Regis menſe Martio, qualiter congregatio in unum ſynodale Epiſcopis Abbatibus viriſque illuſtribus unà cum Comitibus, ſecundum Dei voluntatem pro cauſis oportunis conſentiur utiliter eſſe decreta.* Paulò aliter hæc habentur l. III Legum Langobardicar. c. I. & in Capitulari Lotharij. *Anno feliciter* XI *regnante Domno noſtro Karolo in menſe Maij factum eſt capitulare, qualiter in uno congregatis ſynodali concilio Epiſcopis, Abbatibus, viriſque illuſtribus (Comitibus) unà cum piiſſimo Domno noſtro Karolo ſecundum voluntatem Dei, pro cauſis oportunis conſenſerunt, decretum.*

At præter hæc fecit idem Carolus colligi in rem Eccleſiæ canones alios ex conciliorum veterum, Patrum

trum & pontificum ſententijs: uſus operâ Albini & Paulini Epiſcopi. Illud opuſculum Capitularis titulo exſtat *l. 1.* apud Anſegiſum & in capitulari Lotharii primi Cæſaris, vel Epitome capitularium Carolinorum editâ à Buſæo. Promulgati opuſculi tempus ita ſubnectitur in editione Buſæi: *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCLXXXIX *Indictione* XII *Anno* XX *Regni noſtri, actum eſt huius legationis edictum in Aquigrani palatio publicè: data eſt hac charta die decimo Kal. April.* In Anſegiſo notatur annus regni XXI: omnino autem ſcribendum XXII. Et verò illo tempore hybernaſſe Carolum Aquiſgrani, etiam Annales Francici teſtantur. Etſi enim videantur illi rejicere hyberna illa in annum præcedentem; non tamen eſt, cur turbemur, quoniam ſcriptor ille plerumque ſingulorum annorum geſta à tempore verno incipit. Editum ergo eſt capitulum hoc non in ſynodo ſed in regni comitijs. Collectum verò eſſe operâ Paulini Epiſcopi & Albini, diſertè ſcribit Benedictus Levita *præfat. in l.* V. *Tertio in libello*, inquit, *quædam ex canonibus à Paulino Epiſcopo & Albino Magiſtro reliquiſque iuſſione Karoli invictiſſimi principis, magiſtris ſparſim collecta, ſunt inſerta capitula.* Eſt autem Albinus is qui aliàs & Alcuinus audit, Paulinus verò ex artis Grammaticæ magiſtro Epiſcopus Aquilegienſis: de quo multa Baronius ad annum DCCCII, uterque pro ſeculi captu in re literariâ inſignis.

Quoniam verò hæc pauca ex canonibus excerpi & obſervari iuſſit Carolus, haud injuriâ fortè quis dixerit, reliquos conciliorum veterum canones non item à Carolo fuiſſe probatos. Collegerat autem jam olim, paulò ante tempora Iuſtiniani Cæſaris, canones Eccleſiaſticos Dionyſius Exiguus, cujus operis Caſſiodorus e-

jus æqualis his verbis meminit *l. de divin. lection. c. 23.* *Qui petitus à Stephano Epiſcopo Salonitano, ex Græcis exemplaribus canones Eccleſiaſticos moribus ſuis (ut erat planus atque diſertus) magnæ eloquentiæ luce compoſuit, quos hodie uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur.* Recitat ipſius Dionyſii epiſtolam de hoc opere ſuo ad Stephanum illum Salonitanum ex Creſconianâ collectione *manuſcripta* deſumptam Baronius ad annum DXXVII. Vnde diſcere eſt, partem priorem operis ex Græco fuiſſe ab ipſo Dionyſio verſam; & quidem primo loco in corpore illo canonum poſitos fuiſſe canones qui dicuntur Apoſtolorum; deinde canones ſynodi Nicænæ; *mox canones omnium conciliorum ſive quæ antea ſive quæ poſtmodum facta ſunt uſque ad ſynodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim convenerant.* Inde decreta concilij Chalcedonenſis: quibus finita eſt pars prior, Græcorum ſcilicet canonum. Subjuncta his fuere *ſtatuta Sardicenſis concilij* atque *Africani, quæ Latinè ſunt edita.* Quamvis verò eodem quo Dionyſius tempore Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus, & Creſconius Epiſcopus Africanus, Martinus item Bracarenſis circa annum DLXX, nec non Iſidorus neſcio quis Mercator, partim ante partim circa Caroli ætatē collegerint veteres canones, Carolina tamen illa excerpta ex corpore Dionyſiano videntur deſumpta; quod ſcilicet hujus in Eccleſiâ Romanâ & alibi paſſim major eſſet auctoritas. Ex reſcriptis tamen Romanorum Pontificum quorundam nonnulla addita ſunt in Carolinis illis, quòd illâ ætate jam in corpus Canonum fuerint nonnulla recepta. Bene ſcil. Antonius Auguſtinus, vir juris & omnis antiquitatis peritiſſimus *præfatione in Canones pœnitentiales: A Latinis in cor-*

*pore canonum poſiti ſunt canones conciliorum orientis, interprete Dionyſio Exiguo, & Canones Sardicenſes & Africani ſive Carthaginienſes, atque etiam canones quorundam Romanorum Pontificum à Siricio ad Gregorium minorem.* Et verò his ſolis Pontificum epiſtolis uſos illos Carolinos collectores liquet; utut paulò pòſt multa alia in Germaniâ, Iſidori Mercatoris opere deceptis Epiſcopis, invaluerint.

Sed de eo aliàs. Sunt autem Carolinæ leges Eccleſiaſticæ apud Anſegiſum in univerſum non niſi centum ſexaginta octo. Quot numero à Carolo ſcriptas eſſe etiam Baronius memorat ad annum DCCCI. At aliæ multæ & longè plures habentur in collectaneis Benedicti Levitæ; quod Baronius non attendit.

## CAPVT XV.

### *De Ludovici Pij legibus, earumq́ collectione per Anſegiſum & Benedictum Levitam.*

HÆc de legibus Carolinis. Patris veſtigia verò preſſit Ludovicus Pius. In multis enim conventibus leges quà civiles quà Eccleſiaſticas & novas tulit & veteres emendavit. Anales Francici ad annum DCCCLXIX diſertè id notant: *Conventus Aquiſgrani poſt Natalem Domini habitus, in quo multa de ſtatu Eccleſiarum & monaſteriorum tractata atque ordinata ſunt. Legalia etiam capitula quædam neceſſaria quia deerant, conſcripta atque addita ſunt.* Reperiuntur hodieque capitula quędam Legi Salicæ adiecta hoc titulo: *incipiunt capitula quæ Domnus Hludovicus Imperator anno* III *addere iuſſit.* Vbi error indubiè commiſſus in numero: & ſcribendum: *anno* VI.

Ipſo Ludovico adhuc vivo & quidem anno Imperii XIII Anſegiſus Abbas libros quatuor capitulorum ſive legum, partim à Carolo partim à Ludovico ejuſque filio & Imperii ſocio Lothario, promulgatarum edidit. De illo Anſegiſo ejuſque illâ collectione Sigebertus Gembracenſis ad annum DCCCXXVII: *Anſegiſus abbas Lobienſis Edicta Imperatorum Karoli magni & Ludovici filij eius ad Eccleſiaſticam legem pertinentia in duobus libellis digeſſit. Idem eorundem Edicta ad mundanam legem pertinentia in duobus itaquè libellis digeſſit.* Falluntur qui hunc Anſegiſum eundem exiſtimant cum Anſegiſo Senonum Archiepiſcopo: hic enim obijt anno DCCCLXXXII & demum Caroli Calvi temporibus maximè floruit. Operæ pretium verò eſt audire ipſum Anſegiſum præfantem in ſua collectanea. *Dominante per ſecula infinita omnium dominatore Chriſto ſalvatore noſtro, creatore univerſæ creaturæ, anno incarnationis ipſius DCCCVII, indictione V, anno verò XIII, imperij glorioſiſſimorum Principum Domni Ludovici Aug. Chriſtianæ religionis magni propagatoris, & Lotharij Cæſaris filij ipſius, Anſegiſus nullis præcedentibus meritis, ſed gratia omnipotentis Dei Abba, pro amore bonæ memoriæ domni Karoli magni Imperatoris Chriſtianorum, atque præcellentiſſimi ac pijſſimi domni Ludovici Auguſti filij ipſius ſinceræ dilectione, nec non & præclari Lotharij Cæſaris filij pijſſimi Ludovici Imperatoris, hæc ſubter deſcripta adunavi Capitula: quæ procul dubio, quia ad ſanctæ Eccleſiæ profectum facta ſunt, pro utili firmiter tenenda ſunt lege. Fuerant namque quondam tempore prædicti magni domni Karoli Imperatoris, nec non & nunc præfatorum Principum hoc in tempore domni pijſſimi Ludovici Auguſti, & præclari Lotharij Cæſaris iuſſu, per intervalla temporum ad Chriſtianam religionem conſervandam, atque ad concordiam pacis & dilectionis in*

*Eccle-*

*Eccleſia Catholica tenendam edita. Sed quia in diverſis ſparſim ſcripta membranulis per diverſorum ſpatia temporum fuerant, ne oblivioni traderentur, pro dilectione nimia, ut præfatus ſum, prædictorum glorioſiſſimorum Principum, & pro amore ſanctiſſimæ prolis eorum, ſed & pro ſanctæ Eccleſiæ ſtatu, placuit mihi prædicta in hoc libello adunare, quæ invenire potui, Capitula prædictorum Principum iuſſu deſcripta: ut ad ſanctæ Eccleſiæ ſtatum longævis conſervandum temporibus, atque ad meritum præfatorum Principum glorioſius in vita perpetua augmentandum proficiant. Amen.* Hæc Anſegiſus. Vnde cauſam, tempus & rationem collectionis illius diſcere eſt.

Cæterùm multa cùm Caroli tùm Ludovici decreta prætermiſerat Anſegiſus: itaque nova opera acceſſit Benedicti Levitæ, ætate filiorum Ludovici. Hic enim omiſſa omnia & ab Anſegiſo neglecta in tres libellos digeſſit, eoſque quatuor Anſegiſi libris ſubnexit. *Quia* (inquit ipſe in præfatione) *ab eo* (Anſegiſo) *nec media, ut ratiſſimus, ſunt forſitan inventa vel collecta, neceſſe erat, ut à fidelibus ubicunque inveniri potuiſſent, quærerentur, & ob recordationem tantorum Principum, vel eorundem Capitulorum utilitatem coadunarentur, & membranis insererentur, atque à fidelibus memoriæ commendarentur. Quapropter ea, quæ ille aut invenire nequivit, aut inſerere fortaſſe noluit, & illa quæ poſtmodum à fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, & Pipini ac Karoli atque Hludovici didicimus in jam dictis libellis minime eſſe inſerta, pro Dei omnipotentis amore, & ſanctæ Dei eccleſiæ, ac ſervorum eius, atque totius populi utilitate, fideliter inveſtigare curavimus: & in tribus ſubſequentibus libellis diſtinctè cum titulis ſuis coadunare.* Vnde iſthæc nactus ſit, itidem ipſe profitetur. *Hæc verò* (ait) *Capitula, quæ in ſubſequentib. tribus libellis coadunare ſtuduimus, in diverſis locis, & in di-*

*verſis ſchedulis], ſicuti in diverſis ſynodis, ac placitis generalibus edita erant, ſparſim invenimus: maximè in ſanctæ Magontiacenſis metropolis Eccleſiæ ſcrinio, à Riculfo eiuſdem ſanctæ ſedis metropolitano recondita, & demum ab Anthario, ſecundo eius ſucceſſore atque conſanguineo, inventa reperimus: quæ in hoc opuſculo tenore ſupra ſcripto inſerere maluimus.* Eſt autem Riculphus is qui S. Lullo ſucceſſit anno DCCLXXXVI, ut notat Hermannus Contractus: præfuit autem ſynodo Moguntinæ anno DCCCXIII & inter alios Teſtamento Carolino ſubſcripſit nomen. Et verò hujus curioſitas in canonibus colligendis ab Hincmaro Rhemenſi notatur *epiſtolâ ad Hincmarum Laudunenſem.* Autharius verò eſt ille qui aliàs Othgarius audit, non minus curioſus canonum & legum ſcrutator. De hoc Othgario & Richolpho ut & ipſo Benedicto Levitâ in hunc modum auctor incertus vetus. *Benedictus Moguntiacenſis Eccleſiæ Levita, Capitula quædam regalia, ſynodalia, & alia collegit ex iis, quæ in ſcriniis eiuſdem Metropolis reponi fecerunt Richolfus Archiepiſcopus, qui monaſterium ſancti Albani renovavit, & Moguntinæ ſynodo ſub D. Karolo præfuit, & Otgarius eius conſanguineus & ſecundus poſt Haiſtulfum ſucceſſor: quorum uterque huiuſmodi Capitulorum percurioſus fuit, & erga S. ſedem Rom. valde devotus; adeo ut Otgario etiam Apoſtolicus Gregorius ſuas vices in Germania aliquando commiſerit. Hic Hludovici Imp. filiis contra patrem favit, ſed poſtea reconciliatus eſt, & decendens anno* DCCCXLVII. *Lothorii Imp.* VII. *ſucceſſorem habuit in Archiepiſcopatu D. Rhabanum Abbatem Fuldenſem.* Hæc ille. Colligere autem eſt ex Benedicti verſibus, Othgarii illius iuſſu operam illam à Benedicto ſuſceptam, poſt obitum tamen ejus demum abſolutam eſſe. Ita enim canit:

Qua-

*Quatuor explicitis Lector venerande libellis,*
*Qui canonum recitant iura tenenda ſatis;*
*Quosq́ pater quondam collegit nobilis aptè,*
*Anſegiſus ovans, ductus amore Dei:*
*Authario demum, quem tunc Moguntia ſummum*
*Pontificem tenuit, præcipiente pio.*
*Pòſt Benedictus ego ternos Levita libellos*
*Adnexi, legis queis recitatur opus.*

Quoniam ergo Othgarius obijt anno DCCCXLVII & tamen ſuperſtitibus adhuc tribus Ludovici filijs Benedictus ſua edidit, patet circa annum DCCCL opus prodijſſe, Quadriennio ſcilicet pòſt Lotharius Cæſaream dignitatem depoſuit: trium autem illorum filiorum, ut ſuperſtitum & imperantium meminit Benedictus, cùm in præfatione tùm in carmine præfationi ſubnexo. Notandum verò, non Caroli tantùm & Ludovici Decreta, ſed & alia haud pauca à Benedicto tumultuariâ operâ eſſe congeſta. Namque libri primi initio habet Zachariæ Papæ epiſtolam, & canones duorum conciliorum tempore Carolomanni, Pipini fratris per S. Bonifacium habitorum. Secundo libro recitat multa ex Lege Moſaicâ ceremoniali, quæ obligandi tamen vi omni deſtituuntur.

Porrò ne illis quidem tribus Benedicti & quatuor Anſegiſi libris Ludovici Pij omnia ſunt comprehenſa. Sanè ſubnectuntur hodiè ſeptem illis libris quatuor libelli, titulo, *Additionum capitulorum Ludovici Pÿ Imperatoris:* quas ab illo Cæſare eſſe non eſt vero abſimile. Certè ea quæ habentur *Additione primâ* ad Abbates & monachos cumprimis pertinentia, præmiſſo prologo ipſius Ludovici, decreta ſunt anno Ludovici quarto.

Ipſe

Ipſe titulus legi etiam hic meretur. *Anno incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCCXVII, *Imperij verò glorioſiſſimi Principis Hludovici IIII*, VI *Idus Iulij, cum in domo Aquiſgrani Palatij, quæ Lateranus dicitur, Abbates complures unà cum ſuis reſediſſent monachis, quæ ſubſequuntur capitula communi conſilio ac pari voluntate inviolabiter à Regularibus conſervari decreverunt.* Memorant Annales Francici iſto anno habitum Aquiſgrani generalem populi conventum: fortè tamen leges hæ demum biennio pòſt promulgatæ ſunt: quod videntur dicere iidem Annales, quorum verba ſuprà adduximus. Quis verò Additiones illas adiecerit Anſegiſi & Benedicti libris, haud temerè dixerim. Neque enim auſim cuiquam attribuere, cum nomen nullum adſcriptum invenerim; utut Baronius videatur etiam illa Benedicto adſcribere.

Hos Anſegiſi autem & Benedicti ſeptem libros & has quatuor Ludovici Additiones, cum capitulis nonnullis Caroli Calvi Galliæ regis, & pauculis Pipino rege conditis canonibus, primus typis publicari fecit Franciſcus Pithœus juriſconſult⁹ doctiſſimus; cujus editionē ſecutus Fredericus Lindenbrogius ſuo eas codici Legum Antiquarum inſeruit. Operæ autem pretium fortè fuerit, quid de illis, quæ poſt Anſegiſum adiecta ſunt, Pithœus ille judicaverit, audire. *Illud etiam* (inquit) *verendum eſt, ne nos quoque in hac rutuba non pauca fefellerint. quanquam nec fortaſſis fuerint illa tanti, præſertim quæ poſt Anſegiſum pro cuiuſque collectoris ingenio & propoſito, confusè nulloq́ ordine aut delectu, non certa etiam plerumque auctoritate & fide, ex Gallicanis canonibus, ac pœnitentialibus libellis, SS. quoque patrum ſententiis, quædam etiam ex Iuliani anteceſſoris CP. Novellis, & Alarici breviario, Anianiq́ ad illud inter-*

*interpretationibus, quin & ex VViſigothorum Longobardorumq́ legibus nonnulla addita facilè recognoſcent, quibus hæc curæ erunt; quæ nec ipſa tamen omiſſa voluimus, ne quis deſideraret ac requireret.* Hæc Pithœus: quæ neque probare neque refellere nunc animus eſt. Certius eſt ex ſuppoſititiis Pontificum Epiſtolis & fictis conciliorum canonibus multa in Benedicti pariter libros & Additiones irrepſiſſe: ſive id ejus ævi Epiſcoporum ſive collectorum ſit culpa factum. Neque enim ſaltim Benedictum temere quis abſolverit expenſis ijs quæ illi à Daniele Blondello. *cap. V. prolegom. in Exam. epiſtolar. Decretal.* obijciuntur.

## CAPVT XVI.

### *De ſuppoſititiis priorum Pontificum Epiſtolis Decretalibus & Canonibus conciliorum quorundam, Germaniæ pro Legibus Eccleſiaſticis ætate Ludovici Pij obtruſis: item de Rabani Mauri libro Pœnitentiali.*

ANteaquam à Ludovico Pio abeamus, narrare & alia nonnulla haud abſque uſu fuerit, ad Eccleſiaſticum non illius tantùm ævi ſed & ſequentium ſeculorum omnium jus pertinentia. Erat tum Germania, poſt accepta fidei Chriſtianæ rudimenta, religionis pietatiſque ſtudijs, pro temporis captu, haud ſegniter dedita: eoque anxiè inquirebat, quid à priſcâ Eccleſiâ in concilijs, cumprimis verò à Romanis Pontificibus, quorum apud rudem & ſimplicem populum ſacroſancta penè jam tum erat auctoritas, per epiſtolas aut aliàs eſſet definitum, ut ſecundum il-

lam normam mores & Eccleſiaſticum regimen componerentur. Verùm hactenus ſoli illi conciliorum canones, quos Dionyſius Exiguus congeſſerat, ut Romanæ Eccleſiæ ipſi, ita & Germaniæ potuerant eſſe noti. Quales illi fuerint, ſupra ex ipſius Dionyſii epiſtolâ recitavimus: quâ cum convenit liber ille canonum quem Moguntiæ primum anno MDXXV edi curavit Ioannes VVendelſtinus, eſt autem ipſum *Corpus canonum antiquum* quod pòſt Pariſiis longè eſt emendatiùs editum. Epiſtolæ porrò Pontificum haud aliȩ in Corpus canonum Romanum erant receptæ, adeoque nec aliæ in Germaniæ Eccleſiis obtinebant, quàm paucæ quædam à Siricij uſque ævo ad Gregorij Minoris tempora exaratæ: quod itidem jam tum ſupra dictum, & hodieque diſcere eſt ex Corpore illo antiquo canonum, quod ſolas haſce complectitur. Etiam illas colligi cœptas à Dionyſio Exiguo poſt editos jam canones liquet ex ejus epiſtolâ quâ *Examini Epiſtolarum Pſeudoiſidori* præfixit Daniel Blondellus: quis reliquas adiecerit, & quidem ipſius Gregorii ſecundi literas, fortè ignotum, ſed & ſcitu non adeò dignum eſt.

Cæterum hac ipsâ planè tempeſtate maleferiati quidam nebulones, orci galeâ tecti, ſummo ſcelere incautæ Germanorum primùm mox & reliquorum per occidentem Chriſtianorum ſimplicitati illudentes, cœperunt & Epiſtolas Pontificum & Conciliorum canones ſi non primùm fingere, ſaltem fictas nænias in publicum ementito venerandæ antiquitatis titulo protrudere. Scilicet jam demum Epiſtolæ illæ quæ primorum Pontificum, qui ante Siricium vixere, nominibus hodieque circumferuntur, piorum manibus obtrudi cœperunt,

perunt, edito Iſidori Mercatoris aut Peccatoris titulo Collectione quadam canonum. Non ante Caroli Magni tempora in Gallias & Germaniam opus illud Iſidori delatum, fatetur ipſemet Baronius ad annum DCCCLXV. Daniel Blondellus, (cujus accuratiſſima cenſura Epiſtolarum iſtarum Decretalium non adeò pridem Genevæ prodiit) veroſimile admodum facit, in mediâ Germaniâ, & quidem Moguntiæ, turpem illum fœtum conceptum & natum circa tempora Othgarii Archiepiſcopi. Viri doctiſſimi *Prolegomena* in hanc rem cumprimis lectæ ſunt digniſſima. Nec tamen fortè temerè recedendum ab ijs quæ jam olim ſcripſit circa annũ DCCCLXX Hincmarus Rhemenſis *libro adverſus Hincmarum Laudunenſem c. 24. Quia* (inquit ille) *fortè putaſti neminem alium eaſdem ſententias* (Hadriani ſcilicet I ad Ingelramnum Mediomatricæ urbis Epiſcopum) *vel ipſas Epiſtolas præter te habere, & idcirco talia liberè te exiſtimaſti poſſe colligere, res mira eſt; cum de ipſis ſententiis plena ſit iſta terra, ſicut & de libro collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpaniâ oblatum Riculphus Moguntinus Epiſcopus, in hujuſmodi, ſicuti & in Capitulis regiis ſtudioſus, obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit.* Fortè inquam non eſt ab his recedendum. Quum tamen optimus ille Hincmarus paſſus ſit induci, ut crederet Epiſtolas illas ab Iſidoro Hiſpalenſi collectas, atque ex Hiſpaniâ in Germaniam delatas, (quorum utrumque accuratiſſimè Blondellus confutavit, prioris erroris nomine Hincmarum & alios ipſe notavit Baronius) fortè & in eo deceptus eſt Hincmarus ut Riculpho adſcriberet, quod Othgario tribuendum erat. Verum hæc exquiſitiùs notaſſe parum refert, Riculphum enim jam ſupra diximus Lullo ſucceſſiſſe

 anno

anno DCCLXXXVI. obijt autem circa annum DCCCXLVIII huic verò poſt Aiſtulphum ſucceſſit Othgarius circa annum XXV. uſque ad XLVII Id certum ante Riculphi illa tempora iſtarum epiſtolarum nullum veſtigium, nullam famam reperiri, ac primam memoriam illarum videri factā in *Concilij Aquisgranenſis* habiti Anno DCCCXXXVI *parte* II. c. VIII. Ex Fabiani enim epiſtolâ Iſidorianâ deſcriptum eſt quod illius concilii Patres ut traditionem Apoſtolicam referunt. *Statutum eſt etiam* (inquiunt) *ut vel ſemel in anno, i. e. quintâ feriâ quæ eſt in cœnâ Domini, unctio ſancti olei, in quo ſalvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab Epiſcopo non negligatur, ſicut nunc uſque neglecta eſt, ſed omni devotione iuxta traditionem Apoſtolicam ac ſtatuta Decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.* An opus illud Epiſtolarum ab Iſidoro eſt fratre Eulogij Cordubenſis? Movet hanc ſuſpicionem doctiſſimus Blondellus *in prolegom.* c. VI. Quamvis vero ipſe eam haud adeò probet: conſtat tamen hunc Iſidorum Caroli ætate in Germaniam ex Hiſpaniâ adveniſſe & quidem vixiſſe Moguntiæ, unde certum eſt nænias illas promercales eſſe diſperſas. Titulus quoque ille *ſervi Dej* & *Peccatoris* Eulogio arriſit, quo utroq; ſeſe & Iſidorus jactat; namque Mercatoris cognomentum fortè per imperitiam mutatum eſt ex *Peccatoris*, quod ipſum MSS. codicum fide etiam Baronius conjicit *in notis Martyrologij ad* IV *April.*

Cæterum quiſquis tandem fuerit primus illarum Epiſtolarum editor, pro genuinis veterum urbis Epiſcoporum, adeoque maximo primæ Eccleſiæ theſauro & ab impuro nebulone venditæ illæ ſunt & à ſimplicibus receptæ. Et quidem initio infecta iis eſt Germania noſtra.

Nec

Nec verò crediderim in Benedicti Levitę libros tam multa ex hoc cœnoſo gurgite manaſſe alia de causâ, quàm quòd in Germaniæ concilijs & conventibus epiſtolas illas produxerint Moguntini. In Galliam videntur ſeriùs paulò malum pedem intuliſſe: certè, cum ab Hincmaro Laudunenſi ſententiæ inde collectæ canonibus receptis æquarentur, circa annum DCCCLXX, alter Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus fraudem ſuſpicatus oppoſito libello, cum aliud non auderet, ſaltim auctoritatem earum infringere conatus eſt, ut quæ cedere debeant *recepto canonum corpori*. Quamquam parum procul dubio effecerit Epiſcopus ejus ævi ut doctiſſimus ita animoſiſſimus, reluctantibus illi ipſis Romanis Pontificibus. Scilicet etſi nec Leo IV Papa, qui ſedit ab anno DCCCXLVII ad DCCCLIII, hanc Iſidori collectionem laudaverit, ceu apparet apud Gratianum *diſt. 20. c. de libellis*; nec ipſe Nicolaus I illâ uti ſit auſus, imò hic, ſi Baronio credimus, *ab illâ Iſidori collectione conſultò abſtinuerit*; quantum tamen liquet ex illâ epiſtolâ Nicolai I quam recitat Baronius ad annum DCCCLXV, dum ille Gallos has epiſtolas Decretales non admittentes reprehendens ſimpliciter pronunciat, Decretales Pontificum epiſtolas omnino ſummâ cum veneratione eſſe excipiendas, etiam has ipſas ſuâ auctoritate ſubdolè Gallis illis obtruſit. Certè poſt illa tempora ab omnibus uſque ad avorum memoriam ſacroſanctæ habitæ ſunt; niſi quòd concilii Baſilienſis tempore de nonnullis ſequiùs ſuſpicari cœperint Nicolaus Cuſanus & Henricus Kalteiſen: itaque in Decreto Burchardi, Ivonis, Gratiani utramque penè paginam conficiunt, ut operosè monſtratum à Blondello c. XVIII. Nec tamen eſt

quur arbitremur vel ullam illarum non eſſe ab impurâ & ſceleſtâ manu confictam; quicquid contra Magdeburgenſes idipſum aſſerentes, pro earum fide, declamaverit Franciſcus Turrianus. Vſque adeo enim fraus & ſcelus pellucet undique, ut ipſe Baronius, Pontificiæ monarchiæ ſummus athleta, vi veritatis victus pleraſque illarum convellere coactus ſit; ne nunc denuò laudemus exquiſitum earum Examen à doctiſſimo Blondello nuper editum.

Per eadem verò tempora & Canones multi Conciliorum videntur primùm ficti. Ejus notæ ſanè ſunt Canones concilij Sinveſſani & alterius concilij Romani habiti ſub Silveſtro I Papâ: nam ex hiſce pro Papali abſolutâ poteſtate primus quædam produxit Nicolaus I *epiſtolâ ad Michaëlem Cæſarem*, quam recitat Baronius.

Quoniam verò his & aliis itidem tum confictis & primæ Eccleſiæ Patribus attributis libellis plurima, firmandæ Pontificiæ dominationi peridonea, utut hactenus nullo ævo audita, continentur; non potuit non, invaleſcente mendaciorum illorum turbâ, apud populum rudem & ſimplici pietati addictiſſimum adeoque credulum, illâ tempeſtate ſubitò creſcere penè in immenſum Pontificiæ autoritatis per occidentem opinio: præſertim quum nonnulli illorum Pontificum, & quidem præcipuè Nicolaus I, nihil non egerint, quo humo ſublati ſupra omnes mortales eveherentur. Exinde igitur nova illa paradoxa: *nulli populo fas eſſe Epiſcopos accuſare: iniuſſu Pontificis aut illo inſcio nullum Epiſcoporum concilium cogi fas eſſe: Metropolitis licere Epiſcoporum cauſas audire, at ſolius Papæ eſſe iudicare: Pontificem eſſe ſupra totam Eccleſiam etiam in concilio congregatam: Pontificem à nemine iudicari*

*judicari poſſe : eundem à fidei erroribus immunem eſſe* : hæc, inquam, & ſimilia portenta ſententiarum ex eo uſque tempore perſuaderi paſſim cœperunt. Vnde literis Pontificum, ſi quę vel tum mitterentur, eadem ferè quæ veris Apoſtolicis Petri ac Pauli cœpit auctoritas tribui: adeòq; apud perquā multos legū illę vim ex eo uſq; obtinuerunt. Quod cumprimis notandū hoc loco duximus.

Scilicet quomodo antehac Germaniæ & Galliæ Epiſcopi non dubitaverint diſcedere à Romani Pontificis ſententiis, locuples & memorabile exemplum nobis dat certamen de adoratione imaginum ſeculi noni initio inter ipſum Papam & Germaniæ Galliæque Epiſcopos conſcio Carolo Magno agitatum. Etſi enim hi haud neſcirent, Papam Nicænæ ſecundæ ſynodi placita de imaginibus approbaſſe, illi tamen nihil veriti ſunt in concilio Francofurtenſi omnem illam ſynodum damnare. Fateri idipſum hiſtoriæ evidentia fecit Baronium ad annum DCCCXIV: cui ſi credimus, factum hoc eſt fruſtra contradicentibus & reclamantibus Romanis legatis. Quamquam verò ab Adriano Papa poſt porrectum à Carolo ſynodicum libellum, Nicænæ illius ſynodi placita ſint defenſa, tamen diſſenſu etiam illo pauci Epiſcoporum, per Galliā præcipuè, ſunt moti, ut de ſynodo iſtâ benignius ſentirent; imò ipſum Adrianum acriter perſtrinxerunt, quod & Baronius confitetur. Factum verò idipſum eſt etiam defuncto jam dudum Carolo, ætate Ludovici Pij. Notari merentur verba quædam Epiſcoporum Galliæ in Concilio Pariſienſi habito anno DCCCXXV epiſtolâ ad Ludovicum Pium de Adriano Papâ: *Indiſcretè noſcitur feciſſe in eo quòd ſuperſtitiosè imagines adorare juſſit.* Item: *licet in ipſis obiectionibus*

*onibus aliquando abſona, aliquando inconvenientià, aliquando reprehenſione digna teſtimonia defenſionis gratiâ proferre auſus ſit &c.* Item; *niſi in concluſione obiectionum, retinaculis veritatis, loco ſcilicet Gregorii, inſtitutis adſtrictus iter devium præcaviſſet, in ſuperſtitionis præcipitium omninò labi potuiſſet.* De Adriani ſucceſſoribus ajunt: *Cum prudenti relatu cognoviſſemus, qualiter partim veritatis ignorantiâ, partim peſſimæ conſuetudinis uſu, huius ſuperſtitionis peſtis illis in partibus inoleviſſet &c.* Item; *quia ille qui debebat errata corrigere ſuaque autoritate huiuſce ſuperſtitionis errori obniti, ipſe prorſus eidem non ſolum reſiſtere, verùm etiam incautâ defenſione contra autoritatem divinam & ſanctorum patrum dicta nitebatur ſuffragari.* In hunc modum loqui ſunt auſi Galli etiamnum illo anno. Aſt tum παράδοξα iſta ex ementitis literis Decretalibus & canonibus conciliorum petita, nondùm invaluerant. Imò ipſæ illæ literæ & illi canones nondum uſu receptæ erant, ceu liquet ex eo quòd Anſegiſus Abbas nihil ex illis uſq; ad annum DCCCXXVII in ſua capitula tranſtulerit. Inſequentibus verò illius ſeculi noni annis haud temerè quis Germanorum Pontificiæ tyrannidi eſt reluctatus: tantùm inter Gallos nonnulli, ab Hinnemaro Rhemenſi Archiepiſcopo perſuaſi, veterum Eccleſiæ canonum, quorum illè Hincmarus (ipſo fatente Baronio) fuit peritiſſimus, prætextu, iniquis Nicolai I & Adriani II Pontificum ſeſe acriter oppoſuerunt; renuentes ſcilicet admittere ſive illas Iſidorianas fictas ſive alias novas Pontificum literas, niſi inquantum illæ cum canonibus receptis conveniant.

Verùm hæc latiùs narrare alienum ab inſtituto eſt. Eadem vero Ludovici Pij tempeſtate (etiam hoc enim monendum, quoniam facit ad jus Eccleſiaſticum Germaniæ)

maniæ) invitatus ab Othgario Archiepiſcopo iſto Moguntino ſcripſit *librum Pœnitentium* dictũ, Rabanus Maurus, Abbas tum Fuldenſis. Agit autem de pœnis Eccleſiaſticis pro delictorum varietate pœnitentibus indicendis, eſtque hinc inde ex Corpore canonum collectus. Primus illum publicavit Antonius Auguſtinus cum aliis libris antiquis Pœnitentialibus, & diligentiſſimis notis illuſtravit. Notari verò hîc meretur, quod vir ille doctiſſimus *præfat. illorum canon.* monet. Vſus (inquit) *Rabanus eſſe videtur Corpore canonum & Iſidori Mercatoris priori editione, quod ad concilia tantùm attinet provincialia. Nam Romanorum Pontificum epiſtolas nullas refert præter eas quæ poſt Damaſum conſcripta ſunt, & in Corpore canonum exſtant.* Hinc verò liquet, Rabani illum librum minùs laborare canonibus ſuppoſititiis, quales alioquin ex epiſtolis illis Iſidorianis plurimi promanarunt. Cæterùm an hic Rabani libellus magnæ pòſt in Germaniâ auctoritatis fuerit, haud facile eſt dictu. Burchardus certè VVormatienſis non niſi tria Pœnitentialia laudat: Romanum, Theodori & Bedæ. Verùm nec illorum quidquam hodie fortaſſis ſuperat. Nihil ſanè horum ſibi viſum fatetur diligentiſſimus ejuſmodi ſcriptorum indagator Antonius Auguſtinus: nam quæ ille *Romani* & *Bedæ* titulis edidit, longè alia ſunt ab iis quibus Burchardus eſt uſus, & mentiuntur nomina.

## CAPUT XVII.

*Quæ legum per Germaniam fuerit ratio à Ludovico Pio uſque ad Ottonem Magnum: ex occaſione narratur, in Gallia & Italia Capitularia Caroli & Ludovici per eadem tempora fuiſſe obſervata.*

POſt Ludovici Pii tempora, quando jam Germa-
nia ſejunctam à Galliâ & Italiâ rempublicam con-
ſtituebat, additum quidquam legibus ſcriptis
(ſi excipias aliquot provincialium conciliorum
canones) ad Ottonis uſque Magni ætatem, nullo fide
digno monumento traditur: certè nihil hodie reliquũ
eſt ex omni illo ævo. Credibile igitur eſt, obſervata illa
quæ Carolo Magno & Ludovico Imperatoribus inva-
luerunt, aut conſuetudine alia quædam eſſe introducta.
Sanè in Galliâ & Italiâ etiam tum Leges capitulares, de
quibus loquuti ſumus, obtinuiſſe conſtat. Apparet id
ipſum de Galliâ quidem ex ijs, quæ paſſim in epiſtolis
Hincmari ſcribuntur: nec minus liquet ex Capitulis
Carolo Calvo Rege anno DCCCLIV conſcriptis, quæ ad-
jecta Anſegiſi & Benedicti operi hodieque ſuperant.
Diſertè enim ibi ſcribitur; *Capitula avi & patris noſtri, quæ
in præſcriptis commemoravimus, qui ex Miſſis noſtris non habu-
erint & ijs indiguerint, ut commiſſa per illa corrigere poſſint,
ſicut in ijſdem Capitulis habetur, de ſcrinio noſtro vel à cancel-
lario noſtro accipiant, ut rationabiliter & legaliter cuncta cor-
rigant & diſponant.* Iam antè eidem Carolo ſubditi E-
piſcopi in Meldenſi concilio anno DCCCXLV *c. 78.* ſtatue-
runt: *ut capitula Eccleſiaſtica à Domno Karolo Magno Impera-
tore, nec non à Domno Ludovico Pio Auguſto promulgata, ad-
mixtè ſervari præcipiantur, ſicut & Legalia obſervanda eſſe no-
ſcuntur.* Baronius ad annum DCCCXLV ſcribit, petiiſſe
Meldenſes Patres promulgari capitula Eccleſiaſtica à
Carolo Magno atque à Ludovico collecta, & exigen-
te id concilio Benedictum Levitam tres libros Anſegiſi
collectaneis adieciſſe. Verùm de promulgatione no-
vâ in verbis patrum ne gry quidem habetur, ſed de
jam

jam promulgatorum capitulorum obſervatione. Nec Benedictus flagitante Meldenſi concilio ſua collegit, ſed iuſſu Autharii Moguntini, ceu ſuprâ audivimus. Ne quidem cum Baronio certò aſſeveraverim, verba Caroli Calvi paulò antè adducta de collectione Benedicti eſſe accipienda; quamquam nec negare idipſum auſim.

Fuit autem non minus diligens Carolo in ſtatuminandis Capitularibus patris & avi legibus, per ſibi ſubditas Italiæ, Galliæ & Germaniæ provincias Lotharius imperator. Huius enim conſtitutio *Legum Langobardic. l. III. tit.* XXXV ita habet: *Placuit nobis, ut Capitula quæ excerpſimus de Capitulari bonæ memoriæ glorioſiſſimi avi Domni noſtri Caroli & genitoris noſtri Ludovici imp. invictiſſimi, his omnibus, & fidelibus noſtris & ſanctæ Eccleſiæ in regno Italiæ conſiſtentibus, per legem teneantur & ſerventur. Et quicunque horum Capitulorum contemtor exſtiterit, ſexaginta ſolidis componatur.* Baronius ad annum DCCCXLVII etiam hæc accipit de Benedicti collectaneis, quaſi hoc anno promulgatis: ſed fallitur, namque illa nondum lucem potuerunt tum videre, quod ſuprà oſtendimus; tum verò ſermo eſt Lothario de Excerptis quibusdam. Itaque veriſimile eſt, accipienda hæc de illâ Epitome Capitularium, quam cum Hincmari epiſtolis edidit Ioannes Buſæus, appellatam illi, *Conſtitutionum Caroli Magni Epitomen à Lothario eius nepote evulgatam.* Inſeruit opuſculum illud ſuæ *Collectioni Conſuetudinum & legum Imperialium* Melchior Goldaſtus, titulo Capitularis Lotharij Imperatoris. Fallitur autem & ille, credens factam hanc promulgationem Meldenſis concilii *rogatu*, aut ut Baronius amat loqui, *iuſſu*. Quid enim ad Lotharium

Meldenſe concilium, Epiſcoporum Caroli Calvi fratris.
Tanti verò fecit Lotharius illa capitula, ut ipſe Romanus Pontifex coactus fuerit ijs ſeſe ſubjicere. Exſtat apud Gratianum *diſt.* x. *cap.* IX. Leonis IV ti Papæ profeſſio, quam in ſeculi illius noni annum quadrageſimũ ſeptimum etiam Baronius retulit, in hæc verba: *De capitulis vel præceptis Imperialibus, veſtris noſtrorumq́; Pontificum, & prædeceſſorum, irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, nos conſervaturos modis omnibus profitemur. Et ſi fortaſſe quilibet aliter vobis dixerit vel dicturus fuerit, ſciatis eum pro certò mendacē.* Ad quem locũ Gloſſa iuſſu Gregorij XIII edita: *Omnino hæc quæ à Leone ſcribuntur, ſpectare videntur ad capitula Caroli & Ludovici, quæ Lotharius in univerſâ Italia ſervari mandaverat.* Manſiſſe verò eorum auctoritatem ſalvam, ſaltem ex parte, etiã perditâ jam tum dignitate Francorum Regum per Italiam, colligere eſt ex concilij Ravennatenſis per Ioannem IX. Papam & Lambertum Imperatorem anno DCCCXCVI celebrati c. 1. *Si quis ſanctorum Patrum regulas contempſerit & glorioſiſſimorum Imperatorum, Karoli videlicet Magni Imperatoris & Ludovici atque Lotharij, nec non & filij eius Ludovici, quæ de Eccleſiaſticis decimis in eorum Capitularibus ſtatuta atque ſancita ſunt non obſervaverit, & qui dat & qui recipit, auctoritate ſanctæ ſedis Apoſtolicæ & ſanctione ſynodi, excommunicationi ſubiaceat.*

Verùm hæc obiter: neque enim imposterum Italica illa aut Gallica aut Hiſpanica, ut quæ ad rem Germanicam non attineant, huc transferre propoſitum eſt. Vt in viam igitur redeamus, peromnino veroſimile eſt, Leges à Carolo & Ludovico Pio latas Ludovico Germanico, ejuſq; poſteris curantibus, non minus per Germaniam

niam quàm alibi, fuiſſe obſervatas. Pertinet huc quod ſynodi Moguntinæ Rhabano Mauro Archiepiſcopo habitæ *c. 16.* legitur: *Monemus regiam pietatem, de oppreſſione pauperum liberorum, ut non à potentioribus per aliquod malum ingenium contra iuſtitiam opprimantur, vel cogantur ut res ſuas vendant ſive tradant, ne fortè parentes eorum contra iuſtitiam fiant exheredati, & regale obſequium minuatur, & ipſi propter indigentiam mendici vel latrones vel malefactores efficiantur: & ut ſæpius non fiant manniti ad placita, niſi ſicut in Dominico capitulari olim facto præcipitur.* Hæc illi. An pari religione obſervata & alia fuerint, in illis Germaniæ maximis turbis, haud conſtat. Multa per conſuetudinem abrogata & longè alia paſſim invaluiſſe credibile eſt.

## CAPVT XIIX.

*De legibus Ottonum. Ab iis Ius VVeichbildicum Magdeburgenſe non eſſe conſcriptum, aut latum.*

VEnimus ad Ottonem Magnum: cui ut & ejus filio leges quædam ſcriptæ feruntur acceptæ. Etenim Gloſſa Germanica Speculi Saxonici articulum octuageſimum tertium & quartum libri tertij ab Ottone Magno anno decimo regni, menſe Iunio, eo loci ubi nunc eſt Magdeburgum, ejuſdem libri articulum octuageſimum quintum & ſextum ab Ottone Ruffo filio anno regni ſeptimo, ſcribit conditos. Verùm quâ fide iſthæc ſcribantur, neſcio. Auctori ſanè illius gloſſæ quàm parum ſit tribuendum in hiſtoriâ, jam ſupra memoravimus. Nec tamen refellere illa nunc licet: proinde in medio ponenda; præſertim cum

parum ſcire referat in re tam exiguâ, quid verum aut ab eo ſit alienum.

Majori famâ utrique illi Cæſari adſcribitur IUS VVEICHBILDICUM quod appellatur MAGDEBURGENSE, magni ſanè olim & nominis & uſûs. In fine illius Iuris legitur, datum illud *in anno Domini nongentesimo quadrageſimo octavo, Imperii anno tertio*. Verùm epilogum illum non ab eâ eſſe manu quâ ipſe liber eſt conſcriptus, ſole eſt clarius. Etenim auctor libri, de Ottonibus tanquam dudum defunctis ſemper loquitur: quin *art.* III Friderici primi & Henrici ſexti, *art.* XXVIII ejuſdem Friderici primi, *artic.* LV, & alibi Ottonis quarti, conſtitutiones recitat. Ex adverſo auctor epilogi Ottonem ipſum loquentem introducit. Quod quàm ineptè cum ipſo libro cohæreat, nemo non videt. Prodit verò etiam aliis multis notis epilogus ille ſcriptoris ſui impudentiam & inſcitiam. Neque enim dictio, utut barbara ſit & inepta, cum ſcribendi ratione, Ottonum veris tabulis uſitatâ, unum colorem habet: quod neminem vel leviter hoc in ſtudiorum genere verſatum poteſt latere. Neque ille annus Chriſti eſt Imperii tertius, quum Otto demum anno DCCCCLXII Imperator cœperit audire, & ab illo tempore anni Imperii ejus ſoleant numerari. Nec Benedictus aliquis Papatum vixit, quin illum qui hujus nominis contra Leonem octavum intruſus eſt in Romanam ſedem, Otto expulit & Hamburgum in exilium miſit. Sunt qui à librarii manu errorem commiſſum in temporum notis cauſentur ſcribendumque pertendant DCCCCXXXIX. Verùm nihil juvat commentum. Præterquam enim quod ſit contra fidem manuſcriptorum codicum; ne

ille

Ille quidem Chriſti annus eſt Imperii tertius ſed regni, quæ accuratè olim fuere diſtincta, nec jam tum Cæſar fuit Otto ſed tantùm Rex Germaniæ, multò minus aliquis Papa Benedictus audiit. Non dubium igitur eſt omnem illum epilogum ab homine quodam, ſtudioſo quidem Magdeburgenſis urbis, ſed omnis hiſtoriæ imperito, turpi mendacio confictum eſſe. Scilicet ejuſdem notæ hic epilogus eſt cum tabulis privilegiorum, quæ ab Ottonibus, Magno ac Ruffo, conditæ à ſeſe vel potius exornatæ urbi Magdeburgo feruntur conceſſæ: quas itidem intra trecentos proximos annos à falſario quodã fallendi artem minus docto ſuppoſitas eſſe, certũ eſt. Quamvis verò auctor juris VVeichbildici candidius nobiſcum egerit, ne quidem illi tamen tutò credideris, ea omnia ab Ottonibus eſſe, quæ in libro iſto ijs adſcribuntur. Certè quæ de condito Magdeburgo, de Ducatu Schartovienſe, de Iudicio Palatino Magdeburgenſe & Hallenſi, ab Ottone Magno aut ejus filio inſtitutis narrantur, fabuloſa ſunt & illius ævi melioribus monumentis refragantur; ſed & VVeichbildici illius juris uſus longo demum pòſt tempore cœpit, ut infrà oſtendetur.

Nec tamen negaverimus jura quædam Magdeburgo, quod opidum Otto maximè excoluit, eſſe lata, & conceſſas immunitates. Quomodo ſcimus ab illo lata quædam de nepotum ſucceſſione in bona avorum vivis patruis. Rem hanc ex VVitikindo Corbejenſi monacho, Ottoni coævo, recitare operæ fuerit pretium, ſaltim ut conſtet quàm rudis per illa tempora fuerit juris ſcientia ejuſque dirimendi ratio. *De legum quoque varietate* (inquit VVitekindus *geſtor. Saxonicor. l. II.*)

*facta*

*facta eſt & contentio, fuereq́ qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemq́ legitime cum filijs ſortiri, ſi forte patres eorum obiſſent, avi ſuperſtitibus. Vnde exiit edictum à rege, ut univerſalis populi conventio fieret apud villam quæ dicitur Stela, factumq́ eſt ut cauſa inter arbitros iudicio deberet examinari. Rex autem meliori conſilio uſus, noluit viros nobiles ac ſenes populi inhoneſtè tractari, ſed magis rem inter gladiatores diſcerni iuſſit. Vicit igitur pars qui filios filiorum computabant inter filios: & firmatum eſt, ut æqualiter cum patruis hereditatem dividerent, pacto ſempiterno.* Hæc ille.

## CAPVT XIX.

### *De ratione legum uſq ad Lotharium II Saxonem: de Burchardi VVormatienſis Decretorum libris, & Legibus Familiæ; item de Carolinarum Saxonicarum legum additionibus; nec non Haraldinis legibus Tranſalbinorum.*

PRæter hoc unum verò nihil eſt juris quod ſecurè Ottoni liceat tribuere. Imò nihil eſt hodiè legum Germanicarum quod ab Ottonis ſucceſſoribus uſque ad Lotharium Saxonem profectum, vel à quoquam illorum conſcriptum, memoretur. Adeoque conſtat, nullarum penè legum poſt Ludovici Pij exceſſum uſq; ad Lotharium Saxonem per integros ducentos octuaginta annos promulgatarum memoriam ſupereſſe. Enimverò haud dubitamus in comitijs regni publicis conſtituta plurima. Verùm illa aut non æquè diligenter in chartam relata, aut minus religiosè; nec

nec niſi ad breve tempus, ſint oportet obſervata. Nec enim omnium illorum oblivio adeo nunc poſſet nos tenere, ſi omnia aut ſervata diligenter, aut fuiſſent ſcriptis publicata. Quorum ſi non utrumq; ſaltim alterutrū in Italiâ factum. Itaq; adhuc extant nonnullę leges à Regibus Germanicis in Roncalijs Italiæ campis tum latæ. Quales ſunt Henrici ſecundi de veneficijs ac illicitis nuptijs; quas Carolus Sigonius *l.* VIII *de regno Italiæ* refert ad annum Chriſti MXIII: & Conradi ſecundi de beneficijs feudalibus, latæ juxta eundem Sigonium anno MXXVI. Eorumdē regum conſtitutiones aliæ ſparſim in Corpore legum Langobardicarum leguntur. Verùm ut in Italiâ illæ latę, ita Germaniam non attigerunt, utroque regno ſua ſibi jura ſeorſim ſemper obſervante.

Interea tamen temporis & quidem rege Henrico ſecundo, quem ſanctum & claudum appellitant, Decretum ſuum conſcripſit Burchardus VVormatienſis Epiſcopus, viginti libris Eccleſiaſtici juris congeſtis, ex Corpore Canonum antiquo, ex canonibùs aliquot conciliorum provincialium Germaniæ Galliæ Hiſpaniæ, Epiſtolis decretalibus Romanorum Pontificum, ſcripturâ veteris Teſtamenti, ſententiis variorum Patrum, & tribus Pœnitentialibus libellis Romano Theodori & Bedæ. Quæ inter cum multa ſint ſuppoſititiæ notæ, facile liquet quo in morbo opus illud cubet. Loca omnia ex Iſidori nænijs deſumpta collegit Blondellus *proleg. c.* XIIX. Hic Burchardi verò labor haud accepit vim legum publicarum ſive per Papam ſive per Cæſarem: itaque nec inter libros legum Germanicarum computari fortè meretur, quamtumvis multa contineat haud repudianda. Et vero vult videri Burchardus ipſe in

uſum ſuæ diœceſeos hæc ſcripſiſſe. In præfatione enim ad Brunichonem VVormacienſis Eccleſiæ Præpoſitum cum ſcripſiſſet Brunichonem opera illam flagitaſſe, addit: *Et id quidem vel eâ ratione maximè flagitare videbaris, quod Canonum iura atque Pœnitentium forma in noſtrâ quidem diœceſi adeo confuſa ſint, atque inter ſe diſcrepantia, ut aut ex toto neglecta, aut omni penè auctoritate deſtituta, vel modò ſe in Eccleſiaſticâ diſciplinâ inſtituta apparere poſſint.* Item: *Et quia hæc res ita habet, compellit dilectio tua rogando, ut opellum hanc, congeſtam iunioribus noſtris legendam proponerem, quo ipſi in idonea nimirum ætate ea diſcant quæ vel ſenior æqualium noſtrorum ætas modò aſſequi non poſſit, vel anteceſſorum negligentia non attigit.* Hæc ille. Sine dubio tamen etiam alii lecto hoc libro, propter auctoritatem eorum unde hæc Burchardus collegit, res Eccleſiaſticas ſecundum hanc normam inſtituerunt: adeoque hactenus opus hoc ad jus canonicum Germaniæ eius ævi pertinet.

Ex illâ verò Burchardi paulò ante recitata querelâ liquet, quàm miſera legum Canonicarum in Germaniâ tū facies fuerit. Sanè Capitula Anſegiſi & Benedicti non amplius videntur per illa tempora ullo fuiſſe in uſu: neque enim ex illis quidquam in libros ſuos Burchardus tranſtulit, quin imò ne verbulo quidem eorum meminit.

Idem porrò Burchardus Legem aliquam familiæ ſuæ præſcripſit, quæ adhuc extat ac Decreto ſolet jungi. Continet autem ſtatuta quædam territorij VVormacienſis: qualium ferendorum poteſtas jam illo tempore penes Principes Germaniæ fuit, etiam ex iſto ævo nihil ad nos pervenerit.

Non eſt quoque vero abſimile, circa tempora Ot-

tonis

tonis I. rudimenta illa legum Saxonicarum Caroli Magni juſſu collecta, aliorum operâ aucta fuiſſe & locupletata. Meminit enim Saxonicarum legum VVitikindus Corbeienſis Monachus, antè laudatus, hiſce verbis *l. 1. geſt. Saxonicar. Vſque hodie gens Saxonica triformi genere ac lege prater conditionem ſervilem dividitur.* Significat autem diverſis legibus vixiſſe Nobiles, Ingenuos, Libertos, & ſervos: quarum unam inſignem Adamus Bremenſis *l. 1. cap. v. ita* memorat. *Quatuor differentiis gens illa* (Saxonum) *conſiſtit; nobilium ſcilicet & liberorum, libertorumq́; atque ſervorum. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugiis propria ſortis terminos transferat, ſed nobilis nobilē ducat uxorem, & liber liberā, libertus conjungetur liberta, ſervus ancillæ. Si verò quiſpiam horum ſibi non congruentem & genere præſtantiorem duxerit uxòrem, cum vita ſua damno componat.* Ita Adamus. Nihil vero ejuſmodi in Lege Saxonica Carolina reperire eſt. VVitikindus tamen loco antè citato ſubjungit: *De legum verò varietate* (juxta tres nimirum Saxoniæ populos, Oſtfalos, Angarios, & VVeſtphalos) *noſtrum non eſt in hoc libello differere: quum apud plures inveniatur Lex Saxonica diligenter deſcripta.* Carolina quidem illa lex varietatē aliquam ſæpius exponit, at *diligenter* ſanè *deſcripta* non eſt ſed ruditer admodum & pernegligenter. Spangenbergius *in chron. Saxon.* annotavit, Ottonem Magnum in comitiis regni Stelæ jura Saxonum recenſuiſſe ac ſolemniter confirmaſſe. Verum in antiquis monumentis haud temerè legas Stelæ aliud quid circa leges actum præter illud quod ex VVitichindo ſupra adductum eſt. Itaque veroſimile fit, quod ante diximus, paulatim aliorum induſtria quæ iſthuc facerent Carolino labori adjuncta eſſe. Verùm quicquid

hujus fuit, ad nos uſque per latum non eſt. Nec forte eſt, cur dubitemus, ab conſuetudine ſenſim alia atque alia invaluiſſe & longè plurima vim legis habentia ſcripto comprehenſa non eſſe. Prioris generis arbitror eſſe judicium illud crudele VVeſtphalicum das Vehmgericht: quamvis enim illud Carolus inſtituiſſe credatur, nemini tamen hoc temerè perſuadebitur, cui maximi illius viri prudentia ac probitas non ignota eſt. Hoc ipſum tamen iudicii genus jam Conradi II Salici ætate obſervatum eſſe, colligere eſt ex verbis VVipponis qui vitam ejus deſcripſit, *cap. 6. Reverſus*, inquit ille, *Rex de Ribuariis ad Saxoniam, ibi legem crudeliſſimam Saxonum, ſecundum voluntatem eorum, conſtanti auctoritate roboravit.* Hoc ſcilicet Vehmicum jus ſolum crudelitatis nota non caret: in reliquo Saxonico jure eſt nihil quod hoc nomine poſſit accuſari.

Verùm ut incertum ſit illud de Saxonici juris ſcripti additamento, ab Haroldo tamen Dano, rege potentiſſimo, Ottone II circiter imperante, vicinas Germanicas gentes accepiſſe leges indubitatæ fidei monumentis eſt proditum. Adamus Bremenſis, qui Henrico IV rege hiſtoriam Eccleſiæ Bremenſis conſcripſit, lib. II. c. XIX. *Certiſſimum eſt eum*, (Haroldum) *tam noſtro populo, quàm Tranſalbianis & Freſonum genti leges & iura conſtituiſſe, quæ adhuc pro tanti auctoritate viri ſervare contendunt.* Haud facilè dixeris, quis *populus noſter* Adamo ſit, niſi Bremenſes ſint intelligendi: & tamen illi Haroldi Imperio non paruerunt. Mendum ſubeſſe verbis illis veroſimile ſit, quoniam Helmoldus & Albertus Stadienſis, qui Adamum exſcripſerunt, aliud habent: Illius verba *Hiſtor. Sclavorum l. 1. cap.* XV, ſunt: *Huius viri*

(Harol-

(Haroldi) *induſtria in divinis quidem rebus fuit eximia, nihilominus tamen etiam in mundanâ ſapientiâ, in his videlicet quæ ad regni gubernationem pertinere videntur, adeo claruit, ut leges & iura ſtatuerit, quæ pro auctoritate viri non ſolum Dani, ſed & Saxones adhuc hodiè ſervare contendunt.* Albertus Stadenſis Abbas ad annum DCCCCLXXXIV *Ipſeque* (Haroldus) *Tranſalbianis & Freſonum genti leges & iura conſtituit quæ adhuc pro tanti auctoritate viri ſervare contendunt.* Illud igitur certum eſt, Holſatos, Stormarios & Dithmarſos, qui ſunt Saxoniæ Tranſalbini populi, Friſios item qui Oceani Cimbrici littora incolunt leges olim ab Haraldo iſto nactos. De Bremenſibus incertius. Eſt tamen, cur & hoc affirmes, locus inſignis l. III Speculi Saxonici art. LXIV. *Multæ ſunt in terra Saxonia nationes, quæ ſibi aliena dicunt competere iura ut Holſatij, Heideleri, & Stormerii, quorum iura & mulctas hic non ſcribo.* Heidelerii indubiè ſunt Hadelerii, quo nomine pars populi Bremenſis uſurpatur. Hi verò populi diverſa à reliquis Saxonibus jura fortè per Haroldum ſunt conſequuti. Niſi id ab antiquiore velis origine arceſſere, utpote quùm VVitikindus Tranſalbinos illos videatur Suevorum nomine ſignificaſſe *l. 1.* dicens: *Suevi verò Tranſalbini illam quam incolunt regionem eo tempore invaſerunt quo Saxones cum Langobardis Italiam adiere, & ideò alijs legibus quàm Saxones utuntur.* Sane ut alius nemo forte illos populos Suevos appellarit, VVitikindo tamen illi hoc nomine videntur venire.

## CAPVT XX.

*Ante Lotharium II uſum aliquem iuris Iuſtinianei in Italiâ ſuperfuiſſe.*

SVbſiſtendum nonnihil in Lothario Saxone, (ad quæ uſque tempora Germanici juris hiſtoriam perduximus,) quoniam hoc auctore maxima legum omnium per Italiam & Germaniam, imò ſerpente exemplo, penè per omnem Europam, mutatio facta vulgò creditur. Communis enim penè hodiè ac recepta eſt fama, Leges Romanas antehac ſepultas, Lotharij juſſu, in ſcholas pariter ac fora, omnibus aliis antiquatis, reductas, atque ita ex eo tempore ſolas illas leges ſaltim in Italiâ & Germaniâ vim & uſum obtinuiſſe. Quantumvis verò hęc aſſerantur ſatis conſtanter à viris etiam multæ eruditionis, adeo ut nunc quidem pauci (præter Fridericum Lindenbrogium & Georgium Calixtum, viros clariſſimos,) fortè ſint qui publicato ſcripto contradicere ſint auſi, ſi licet tamen, merito dixeris,

*Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.*

Non difficile quidem fuerit fortaſſis, manifeſtum id facere, ſi per ſingula euntes ad monumenta priſca ejus & ſequentis ævi reſpiciamus: verum ita ab inſtituto noſtro abeundum nonnihil fuerit: quod nunquam temerè committendum arbitramur. Eſt autem fortè pretium operæ aliquantulum hic ex occaſione à viâ digredi, ſaltim quò clariùs appareat per Lotharium in Germaniâ circa leges nihil mutatum, neque jam tum cepiſſe apud nos Romani juris uſum, ſecus quàm à multis exiſtimatur. Enimvero ſi ab Lothario jus illud Romanum in Italiam non eſſe introductum probaverimus, liquet multò minus ejuſmodi quidquam in Germania contigiſſe. Per partes proindè omnia videamus, ac *primò* quidem num juris Romani ante Lotharij ætatem aliquis fuerit in foro uſus, an nullus: *inde*, num

Lotha-

Lotharij juſſu doceri illud in ſcholis cœperit: *mox* num ejuſdem mandato ut ſecundum ſolas haſce leges jus in foris Italiæ dicatur, ſit conſtitutum: *deniq;* num ejuſmodi aliquid in Germania jam tũ cœperit: ordine diſquiremus.

Principio igitur uſum Romanarum legum ante Lotharium quod attinet, in Germaniâ profecto Transrhenanâ non illæ fuere ſepultæ, ubi nimirum nunquam floruerant, niſi fortè ad breve temporis momentum, & in exiguâ parte. In Italiâ fateor ante hæc tempora proximè non eo fuiſſe in uſu, in quo poſtea fuerunt, aliquis tamen locus in foro nunquam ijs non ſuperfuit. Iam tum ſupra, *cap.* V. videlicet, docuimus, per Oſtrogothos Romanas leges in Italiâ non fuiſſe abrogatas. Nec Langobardos in ea Italiæ parte, quam illi occupaverant, id tentaſſe, itidem jam tum *cap.* XI. oſtenſum. Multo minus ergo id factum Romæ, aut in Exarchatu Ravennatenſi alijsq; Italiæ locis à Langobardica dominatione liberis. Carolus Magnus in prooemio legum ſuarum Langobardicarum quod *cap.* XII recitavimus, ſeſe in Italia utramque legem *Romanam* & *Langobardam* inveniſſe teſtatur: ſermo autem illi omnino eſt de provinciis ad regnum Langobardicum pertinentibus. Libro ſecundo *Leg. Langobard. tit.* LVI *l.* I. tribuitur Carolo conſtitutio ita ſonans: *Sicut conſuetudo noſtra eſt, ut Langobardus aut Romanus, ſi evenerit quod cauſam inter ſe habeant, obſervamus, ut Romani ſucceſſiones iuxta illorum legem habeant: ſimiliter & omnes ſcriptiones ſecundum ſuam legem faciant; & quando componunt, iuxta legem ipſius, cuius malum fecerint, componant: & Langobardos illos convenit ſimiliter componere. De cæteris verò cauſis communi lege vivant, quam Dominus Karolus excellentiſſimus rex Francorum atq; Langobardorum*

*dorum in Edictum adiunxit.* Ex quibus liquet, à Carolo Romani juris uſum in ſat multis negotiis veteri Italicæ plebi Langobardico regno ſubditæ permiſſum. Non aliter egit Pipinus filius quem Langobardici regni ſocium pater vivens acciverat. Ejus conſtitutio paulo ante cit. titulo ita habet: *De diverſis generationibus hominum, quæ in Italiâ commanent, volumus, ut ubicunque culpa contigerit, unde faida creſcere poterit pro ſatisfactione hominis illius, contra quem culpaverit, ſecundum legem ipſius, cui negligentiam commiſerit emendet. De ſtatu verò ingenuitatis, aut de aliis querelis unuſquiſque ſecundum ſuam legem ſemetipſum defendat.* Eodem verò tempore Romæ leges Romanas viguiſſe, vetant nos dubitare Annales Francici ad annum DCCCI ſic loquentes: *Poſt paucos verò dies, iubente ipſo (Karolo) ii qui Pontificem anno ſuperiore depoſuerunt in iudicium adducti, & habitâ de iis quæſtione, ſecundum legem Romanorum, ut maieſtatis rei capite damnati ſunt.* Primus Lotharius Imperator Ludovici Pii filius videtur voluiſſe Romanas leges abrogare: ſed quo minus id fieret interceſſit Leo IV Pontifex. Verba petentis id Papæ apud Gratianum *diſt.* X. *c.* XIII hæc habentur: *Veſtram flagitamus clementiam, ut ſicut hactenus Romana lex viguit abſque univerſis procellis, & pro nullius perſonâ hominis reminiſcitur eſſe corrupta: ita nunc ſuum robur propriumque vigorem obtineat.* Annuiſſe Lotharium, ſed ſimul plebi Italicæ optione data legem aliquam ſibi eligendi, quod hactenus inſolitum, colligere eſt ex *tit.* LVII *lib.* II *Leg. Langobard. Volumus* (inquit Lotharius) *ut cunctus populus Romanus interrogetur, quali lege vult vivere: ut tali lege, quali vivere profeſſi ſunt, vivant; illiſque denuncietur, ut hoc unuſquiſque tam iudices quàm Duces, vel reliquus populus ſciat. quod ſi offenſionem contra eam-*

*tra eandem legem fecerint, eidem legi quâ profitentur vivere per diſpenſationem Pontificis & noſtram ſubiaceant.* Sigonius *l.* IV. *de regno Ital.* vult latam hanc conſtitutionem anno DCCCXXVIII: veroſimilius autem Baronius eam refert ad annum DCCCXLVII. Quum verò ſanctionem illam Lotharii is qui leges Langobardicas congeſſit inſeruerit Corpori illius juris, oportet illam ad ætatem Lotharii Saxonis fuiſſe in uſu: tum enim illi libri ſunt conflati. Confirmatur idipſum ijs quæ Sigonius *l.* VIII ad annum MVII annotavit. *In quibus*, inquit, *illud animadverſione dignum, cum horum etiam temporum conſuetudo ferret, ut omnes ederent quâ quiſque lege vivere vellet, Romana, Langobarda, Salicâ, Bonifacium* ( patrem ) *Langobardam eſſe profeſſum, Mathildem verò* ( filiam ) *Salicam. Quod ex eorum tabulis, quæ plurimæ in Eccleſia Mutinæ aſſervantur, cognoſcitur. Quod in patre & filio, non idem in viro & coniuge obſervatum, unde in eodem tabulario per hæc tempora ſic ſcriptum invenitur: Maria, quæ profeſſa ſum lege vivere Romana, ſed nunc pro ipſo viro meo Lege Langobardorum vivere videor, qui profeſſus eſt ex natione ſuâ lege vivere Langobardorum.* Eſt autem ultimum hoc conſentaneũ ſanctionibus Luitprandi regis & Lotharij Imperatoris quæ extant *tit.* II. *libr.* II. *Cod. Langob.* Eam arbitrariam juris profeſſionem ad Lotharium Saxonem uſque manſiſſe notat idem Sigonius in actis illius Lotharij *lib.* XI. Superſunt porrò in *Cod. leg. Langobard. l.* II. *tit.* VIII. & XLVII Henrici II Cæſaris, qui ejus nominis tertius eſt Germaniæ rex, conſtitutiones duæ: quarum priore antecedentium regum leges confirmantur, alterâ deciditur quæſtio nata ex diverſis legibus Codicis Iuſtinianei de juramento clericorum.

Ex his omnibus verò clariſſimum eſt, illo tempore Romanas leges non in nullo fuiſſe uſu: adeoque nemini non liquet antè Lotharium Saxonem non fuiſſe leges illas in Italiâ prorſus ſepultas: contrà quàm à multis hodiè traditur. Fortè in ipſa Galliâ etiam tum juris Romani obſervatio aliqua ſuperfuit. Etſi enim Gothorum in Hiſpania reges Romanum jus omne tandem aboleverint, Burgundiones tamen & Franci id minimè commiſerunt. Extat ſane Papiani liber *Reſponſorum*, qui Gundebaldi Burgundionum Regis mandato creditur ex Romano jure collectus. Sed & in Formulis ſollennibus Marculphi, quæ Carolinis temporibus in Galliâ ſunt conſcriptæ, frequens admodum mentio fit Romanæ legis: diſertè *formul.* cxxxviii adducitur Corpus Theodoſianum. Vt proinde ſaltim ijs temporibus non omnino nihil in Galliâ jus Romanum valuerit. Fortè nec pòſt omne exſpiravit.

Quicquid verò de Galliâ ſit, in Italiâ non deſiiſſe omnem ejus juris auctoritatem modò oſtendimus. Et verò videtur illud in Galliâ quidem ex Codice Theodoſiano aut ejus Epitome ab Aniano confectâ, in Italiâ ex Codice Iuſtinianeo deſumi ſolitũ eſſe. Neque enim Iuſtiniani opus vim aliquam per Galliam, illo tempore Romanis per Francos ereptam, potuit invenire: neque Iuſtiniani Codex ſed Theodoſii laudatur à Marculpho. Ex adverſo, devictis Gothis magna Iuſtiniani per Italiam omnem fuit exiſtimatio, itaque à præſidibus ejus publicatum per Italiam eſſe novum illud juris Corpus, non eſt dubium. Sanè Iuſtinianei illius operis laus extat & in hiſtoriâ Langobardica Pauli VVarnefridi hominis Langobardi; unde ejus in vulgus opinionem di-

ſcere

ſcere eſt. Quin & Ioannes VIII vel IX Papa, quem ſeculo nono conſtat ſediſſe, in concilio Tricaſſino circa annum DCCCLXXXVIII in hæc verba ſcripſit; *Vnde noſtra ſerenitas cum præſcriptis Epiſcopis, inſpectis legibus Romanis, ubi habeatur de ſacrilegijs, invenimus ibi à Iuſtiniano Imperatore legem compoſitionis ſacrilegij conſtitutam in quinque libras auri optimi.* Non multo antè etiam adduximus Henrici III Cæſaris conſtitutionem quâ variæ leges Codicis Iuſtinianei quaſi conciliantur. Neque verò in ejus ævi ſcripto aliquo in Italiâ edito ullam temerè Theodoſiani codicis memoriam reperias. Notandum porrò nihil ex Pandectis adductum eâ ætate legi, ſed ex Codice: unde colligere eſt hujus uſum majorem fuiſſe. Et verò rariſſima fuiſſe Pandectarum exempla paulò pòſt audiemus, ex Taurellij aliorumque narrationibus.

Vt in breve igitur contrahamus quæ hactenus diſputata ſunt, ita ſe res habet: Ante Lothariũ in Italiâ juris Romani, & quidem Iuſtinianei, uſus aliquis arbitrarius ſuperfuit, exiguus ubivis, frequentior tamen Romæ & alijs Exarchatus locis quam in regno Longobardico.

## CAPVT XXI.

### *Quod vulgò aſſeritur, Iuſtinianeas leges in ſcholas Lotharij juſſu & auctoritate eſſe reductas, id non tantum incertum ſed & falſum eſſe.*

AD alterum pergendum, & num Lotharii iuſſu doceri cœperint in ſcholis Leges Iuſtinianeæ, inquirendum. Conſtat quidem circà hæc tempora Bononiæ cœpta iterum juris ſtudia: verùm an auctoritas ac mandatum aliquod Lotharij Cæ-

ſaris acceſſerit, id verò eſt quod quæritur. Vt negemus potius quàm affirmemus, inducimur nos equidem duplici argumentorum genere, quæ tamen in ejuſmodi quæſtionibus, ſi non unicè, ſaltim maximè valent. Alterum eſt: *quod nullo antiquo monumento fide digno Cæſari iſti Iuris ſtudia referantur accepta.* Alterum: *quod optimi quique veterum ea de novo exordio ſtudij illius, Lothario item & Bononienſium rebus narrent, quæ probant haud obſcurè, nullam Lotharij auctoritatem ad iuris illius interpretationem advenisſe.* Prior argumentatio demonſtrat incertum eſſe hoc omne, adeoque temerè idipſum vulgò nunc affirmari. Poſterior ſententiam illam vulgarem etiam falſi convincit. Neque verò humanarum rerum veterum tuto quid affirmes hodie, quod ad nos priſcis monumentis delatum non eſt: multo minus aſſerere quid licet quod antiquis fide dignis teſtimonijs adverſatur.

Eſt autem longè certiſſimum, non in ullo ſive hiſtoricorum ſive aliorum ſcriptorum monumento paulò vetuſtiore Cæſari Lothario attribui initia ſtudiorum juris Romani reparatorum. Enimvero optima fide ſcribit Calixtus noſter. *Invaluit hodie opinio, auctoritate iuſſuque Lotharij, quem & Luderum vocant Helmoldus & Albertus Stadenſis, Iuſtinianéum ius in ſcholas & forum revocatum fuiſſe. Sed id nemo veterum mihi lectorum vel verbulo innuit, nedum adſerit. Otto Friſingenſis, Imperatorum Henrici IV è filiâ nepos, Cunradi III frater, Friderici Ahenobarbi patruus, qui eâ ipsâ ætate vixit, geminam Lotharij in Italiam expeditionem commemorat: de VVernero & iure veteri revocato οὐδὲ γρῦ; rem tantam & adeò memorabilem utique non præteriturus, ſi ita, ut creditur, ſeſe haberet. Tantundem Dodechinus, Robertus de monte, Helmoldus, Albertus Stadenſis, Gobelinus, Vincentius,*

*tius, Antoninus, Blondus, Trithemius, Volaterranus, Egnatius, Sabellicus, Nauclerus, Cuſpinianus. Adde quod nec Centuriatores Magdeburgici, nec Card. Baronius, qui omnes pluteos, omnia ſcrinia excuſſerunt, ullam eius rei mentionem faciant.* Hæc Calixtus, & veriſſimè quidem. Addo ego ne in alijs quidem proximorum ſeculorum barbaris hiſtoricis, qui multis voluminibus in Germaniâ & alibi prodierunt, quidquam huius legi. Lovanienſes ſanè à Nihuſio hac de re rogatos, tantum abeſt vetuſtum aliquid promere potuiſſe pro adverſa ſententiâ, ut ingenuè ſint faſſi niti ſe *præcipuè Forſteri fide.*

Non tantum verò nihil typis eſt hactenus publicatum paulò antiquius fide dignum pro illa populari ſententiâ teſtimonium, ſed ne in archivis quidem latere aliquod hactenus non editum, merito collegeris inde, quoniam ne Bononiæ quidem, ubi juris renovata illa ſtudia cepiſſe conſtat, nihil hujuſmodi reperitur. Id ut affirmemus, non Sigonius tantum ſed & ipſi illi Bononienſes, qui Bartholdo Nihuſio nuper de Irnerio percunctanti reſponderunt, nos permovent. Nô eſt enim quod dubitemus, Sigonio nihil non lectum quod in Bononiæ tabulariis veterum eſt monumentorum. Quam diligentiam in Regno Italiæ deſcribendo adhibuerit, ipſe haud ſubticet epiſtola qua libros de Regno illo Iacobo Boncompagno inſcripſit. *Hic ſtatim*, inquit, *magna illa, quæ ceteros quoque video circumventos fuiſſe, difficultas occurrit: undenam res tam antiquas, tam obſoletas tam diſperſas eruerim, quas conſtaret à nemine accuratè fuiſſe memoriæ conſecratas. Valuit hoc quidem plurimum ad meam in hoc officio debilitandam ac propè frangendam induſtriam. Verum contrà tanta fuit mea in hoc quoque genere operæ probandæ cupiditas,*

*ut, quod poſtea experiens ſenſi, nulla rem aggreſſo ſubſidia defutura ſperarem, ſi modo ad ea conquirenda pauliſper animum adieciſſem. Quamobrem ad perſcrutanda omnia, ſive manifeſta, ſive occulta, ad hoc ſtudium quoquo modo pertinentia monumenta converſus, primum omnes mihi, ſive profanarum, ſive ſacrarum actionum, qualeſcunque eſſent, commentarios comparavi: deinde vetera Italiæ, & maxime Lombardiæ tabularia perluſtravi, atque omnia fere quæ apud civitates, eccleſias, monaſteria, pontificum, regum atque imperatorum diplomata reſidebant, aut præſens inſpexi, aut certe abſens beneficio amicorum hoſpitumq; cognovi: poſtremo ſingularum etiam chronica civitatum, quæ poſt milleſimum à Chriſto annum conſcribi in Italia cœpta, apud privatas nunc etiam familias aſſervantur, adiunxi. Ita his omnibus aſſidua opera ac flagranti ſtudio lectis, & rebus, temporibus, locis ac perſonis inter ſe accuratiſſimè comparatis ac iudicatis, fallacibus pleriſque huius operis anguſtiis, quæ obſtare videbantur, occurri.* Hæc Sigonius. In illo autem opere de Regno Italiæ l. XI res Lotharij omnes diligentiſſimè quidem ex antiquis monumentis perſequitur: non niſi ex recenti tamen fama aliquid ſubjungit de reducto in forum auctoritate Lotharii jure Romano, ſtudia autem juris (quo de negotio nunc agimus) & quidem Lotharij juſſu in ſcholas revocata eſſe, ne quidem ex fama vulgari narrat, minimè profecto id ſilentio præteriturus, ſi quid ejuſmodi Bononiæ aut alibi fide dignum reperiſſet. Recitabimus verba viri doctiſſimi, quæ ipſo obitu Lotharij jam enarrato annectit. *Conſtans doctorum hominum monumentis eſt fama, Lotharium, ut ex uno Iure civili Romano poſthac iudicia fierent, lege ſanxiſſe. Ante hoc tempus Italici certe alij Longobardica, alij Salica, alij Romana lege utebantur: in poſterum autem omnes uni Iuri, uniq; legi, reliquis*

*abroga-*

*abrogatis, nempe Romanæ obtemperarunt: iuſque civile publicis Italiæ in gymnaſiis maiore celebrari ſtudio, & diligentiori coli opera cœptum. Primus autem Bononiæ Irnerius exponere cœpit, ut Odofredus memoriæ prodidit; primuſque gloſſas, ut vocant, in illud ſcripſit, quem deinde alij ſequuti, certatim illius ſunt induſtriam æmulati. Hoc autem ſenſiſſe quoque videtur Vrſpergenſis, cum Irnerium regnante Lothario ad Pandectas interpretandas acceſſiſſe ſcribit; in eo tamen aperte falſus, quod Mathildis rogatu id ſuſcepiſſe muneris ait, quæ multo ante Lotharij Imperium è vitâ migravit.* Hæc Sigonius. Idem & libro XV doctrinæ Iuris mentionem facit; verùm ne ibi quidem Lothario tribuit revocationem ejus in ſcholas: imò ità loquitur, ut facilè appareat Cæſareum aliquod mandatum non acceſſiſſe. *Poſt Lotharij* (inquit) *Imperatoris decretum* (cujus ſcilicet meminit libro XI) *cum ius Romanum toto ferme occidente celebraretur, multa civitates eius ſibi interpretandi negotium aſciverunt, ſed nullo loco aut illuſtriore doctorum cum laude, aut maiore ſtudioſæ iuventutis celebritate, quam Bononia. Nam Bononienſes primi Pandectas inventas ex loco ſuperiore exponere, primi gloſſas, quas vocant, in eas ſcribere inſtituerunt, Irnerius, Bulgarus, Hugo, Iacobus, & Martinus; iidemque ubi ſui non ſuppeterent, peregrinos, ingenio doctrinaque florentes, ſtipendio conduxerunt.* Hæc iterum Sigonius. Neutro ſanè loco affirmat, mandato Lotharij Ius cæptum doceri, quod tamen Sigonii his teſtimonijs conantur probare in nupero illo reſponſo de Irnerio, Bononienſes. Quis crediderit verò reperiri Bononiæ monumenta certæ fidei de Lotharij hoc juſſu, quum ne Sigonius quidem affirmare id ſit auſus?

Clarius idipſum liquet ex ejuſdem doctiſſimi viri

Bono-

Bononienſi Hiſtoria, quam poſt opus de Regno Italiæ ex ipſis tabulis Bononienſium vetuſtiſſimis concinnare aggreſſus, perducta rerum ſerie ad annum MDLXXXIII, operi immortuus eſt. Nihil & ibi legas de edicto iſthoc Lotharij. Imo in argumento hiſtoriæ anni MCII hæc verba habentur: *Irnerius Philoſophiam Bononiæ docens Mathildis rogatu Pandectas interpretari cœpit, & primus gloſſas in eas ſcripſit.* Itaque Sigonius profectò ſtudiorum juris renovatorum laudem non Lotharii mandato ſed Mathildis rogatui diſertè adſcripſit: non ſanè id facturus ſi quæ Bononiæ monumenta repetiſſet in contrarium eunti. Sudat hic miſerè Nihuſius in ſuo corollario ad Apologeticum. *Argumenta non eſſe Sigonii, nec certè ſi ſuperesſet pro ſuis hæc agniturum: nec reperiri hanc narrationem in ipſa Hiſtoria: Irnerium anno illo ſecundo forſan nondum fuiſſe natum ut qui deceſſerit anno MCXC: Sigonium fortè non ex propria ſententia ſcripſiſſe: denique ultimam manum operi non eſſe impoſitam.* Cæterùm quiſquis illorum argumentorum ſit autor: Sigonium in ipſa Hiſtoria idem tradidiſſe, ſed à Senatu Bononienſe id expunctum, ex Vrbis illius tabulis propalarunt nuper ipſi à Nihuſio conſulti Bononienſes Doctores. *Cum Sigonius* (inquiunt) *interierit necdum Hiſtoria Bononienſi abſoluta, Illuſtriſſimi Senatus decreto, ne Auctoris fides labeſceret id ſuppreſſum fuiſſe, publica Vrbis teſtantur tabularia.* Iidem rectè demonſtrarunt Irnerium jam ante annum CIↃ C LX, ſi non quinquageſimum, è vivis exceſſiſſe: ut liqueat inanem eſſe etiam illum Nihuſii prætextum de ſero obitu Irnerii. Quod porro cauſatur Nihuſius ex aliena ſententia loquutum Sigonium, adfertur ſanè etiam à Bononienſibus iſtis. Verba illorum barbara ſunt: *ibi ſe gerit Sigonius non ut compre-*

*comprehenſor, ſed ut purus relator opinionis Vrſpergenſis illius, quam alias in Hiſtoria de regno Italico conſultò oppugnavit.* Etſi autem ipſa Sigonij verba non liceat nobis legere, falſum tamen eſſe quod Bononienſes illi ac Nihuſius dicunt, haud difficile collectu eſt. Qui enim Vrſpergenſis ſententiam ſine addita cenſura recitaverit Sigonius, quam alibi rejecit; cum ad Bononienſem hiſtoriam inprimis pertineat accurati quidquam de tanto negotio definire? Ecquid verò cauſæ habuerit Senatus Bononienſis inducendi atque ex Hiſtoriæ corpore per decretum delendi nudam alienæ ſententiæ recitationem? Certè ſi verum eſt (quod Bononienſes ſcribunt) factum illud eſſe, *ne Auctoris fides labefieret:* probaverit Sigonius Vrſpergenſis hiſtoriam neceſſum eſt. Neque enim ſententiæ tuæ quicquam derogas, ſi referas quid alijs videatur. Quid, quòd illa omnia quæ in argumento habentur, nō prodiderit Vrſpergenſis? Neq; enim ille tradidit, *Irnerium Bononiæ philoſophiam docuiſſe*, aut *ius cœpiſſe interpretari circa annum* MCII, aut *cœpiſſe tunc Pandectas exponere*; ne quidem diſertè dicit, ab Irnerio *gloſſas iuri eſſe additas*. Quæ omnia cum docuerit Sigonius, non profectò ille Vrſpergenſis hiſtoriam recitavit, ſed ſuam ipſe ſententiam prodidit. Fateor verò ultimam Bononienſi Hiſtoriæ illi manum à viro doctiſſimo non eſſe impoſitam: nullum tamen eſt dubium, huic ſententiæ illum immortuum eſſe; neque fidem apud illum inveniſſe quæ de Lotharii mandato circa legum Romanarum profeſſionem vulgo narrantur. Indubiè ſcilicet etiam id tradidiſſet, ſaltim eo opere, quo res Bononienſium quorum in clientela & ſtipendio vivebat, illuſtrare inſtituit; cumprimis haud neſcius illam de Lothario fabulā præ alterâ de Mathilde narratione, populo placere. Sint vero etiam

hæc Sigoniana de Mathilde fabuloſa: hoc tamen nemini non patet Sigonio haud lectum eſſe monumentum aliquod vetúſtum, unde de Lotharii illo ſcito poſſit nobis conſtare. Lecta verò illi ſunt Bononienſium omnia. Ac proindè nec Bononia huiuſmodi quid habet: quod nos probandum ſumpſimus.

Hunc defectum monumentorum priſcorum non minus ex ipſorummet Bononienſium Doctorum nupero reſponſo de Irnerio, firmâ licet collectione comprobare. Ipſi enim glorioſis adeo verbis operam & diligentiam ſuam commendant, ut ſuperſtitum monumentorum quidquam eos fugiſſe penè nefas ſit ſuſpicari. *Omnia Patria monumenta*, ajunt, *curiosè perluſtravimus, omnia veterum iuris interpretum ſcripta ac edita, Odofredi vel maximè, qui præceptores Irnerio coævos audivit, aſſiduè obvolvimus; ſolum tandem annalium Italicorum ac Patriæ vomere laboris invertimus.* In epiſtola ad Nihuſium, quam hic famoſo libello, cui *Suſcitabulo* nomen, inſeruit; *poſtulanti tibi*, inquiunt, *quicquid erat in ſcriniis huiuſce generis teli in uſus tuos contulimus.* Tanta profeſſos, ecquis dubitet, invento antiquo aliquo documento, maluiſſe ad teſtimonia heri & nudius tertius nata, Sigonii videlicet, Alidoſii & Ioannis Bonifacii provocare? Sanè de hominibus paulo doctioribus id nemo ſuſpicabitur. Multò igitur min⁹ credere id fas eſt, de iis, quos ſaltim Romanæ & Pontificiæ leges vetant ignorare qualis eſſe debeat teſtis idoneus. Meminerunt tamen *legis cuiuſdam conditæ per Lotharium de iure civili in ſcholis publicè interpretando.* Ita quidē eſt. Vtinam verò in medium produxiſſent illam ex Bononiæ ſuæ tabulariis! Certè factum id oportuit: neque alio teſtimonio amplius fuiſſet opus. Hactenus ſcilicet

ejuſmo-

ejuſmodi lex edita non eſt. Codici certè Iuſtinianeo aut Novellis non eſt inſerta. Ne Goldaſtus quidem, quo majore diligentia nemo temerè Germanicorum Cæſarum conſtitutiones collegit, vel gry ejus publicavit. Quid quod ipſi Bononienſes ſatis prodant aut planè nihil illius legis ſibi viſum, aut non niſi ejus fragmentum? Neque enim, ubi res poſtulabat, illam in teſtimonium vocant, aut fidem ejus urgent, quomodo fieri & ſolet & par eſt. Tantum obiter, & frigidè in re nihili verbulo laudant. Quum enim dixiſſent Comitiis Roncalibus anno MCXXXVI de jure dicundo actitatum, idque Sigonii verbis probaſſent, addunt: *& ſumitur ab exordio legis* CVIUSDAM *conditæ per Lotharium de iure civili in ſcholis publicè interpretando.* Non lectam autem ipſis integram aliquã ejuſmodi legẽ, manifeſtè produnt, quando diſertè fatentur, OPINARI *ſeſe* illam latam *ab anno centeſimo triceſimo ſeptimo ſuprà milleſimũ.* Cui profecto conjecturę locus non fuiſſet, ſi conſtitutio aliqua ſuis numeris abſoluta in manus illorum incidiſſet. An aliquid Lotharii nomine fortè circumfertur, ejuſdem commatis cum Theodoſii ſecundi tabulis, de bonarum artium ſtudiis Bononiæ docendis? Equidem, ſi quid tale eſt quo uſitatæ leges in foro ſimul abrogantur, (nam & hoc legi illi tribuunt Doctores iſti) haud dubitaverim non has minus Lotharii quam illas Theodoſii nomine confictas chartas, quiſquiliis accenſere, dignis quæ piper amiciant, ne quid dicam gravius. Scilicet infra ſole clarius faciemus, Lotharii juſſu nihil veterum legum eſſe antiquatum. Neque eſt cur exiſtimemus Doctoribus iſtis imponi haud potuiſſe ſuppoſitiâ quadam Lotharii ſanctione: quum non obſcure iidem probent

ineptam illam inſulſam & barbaram Theodoſio adſcriptam, ſanctionem quam recitat Middendorpius *Liv de Academ.* Hæc enim eſt, quâ Bononia ſcholæ ſuæ initia in Theodoſium refert: quod & hi Doctores faciunt. An fortè ne commentitiũ quidem hujuſmodi Lotharii Cæſaris de juris diſciplinâ monumentum aliquod ſupereſt? Suſpiceris id meritò attentius expenſis Bononienſium illorum verbis. *Quo anno* (de MCXXXVI ſermo eſt) *menſe Novembri, cum ferè omnes Itali Principes in Roncalijs convenerint, ut de iure miniſtrando ſubditis Imperij; & Italis vel maximè, quàm graviter diſcuteretur, enarrante Sigonio de regno Italiæ l.* XI *& ſumitur ab exordio legis cuiuſdam conditæ per Lotharium, de iure civili in ſcholis publicè interpretando.* Narrat ſanè Sigonius, illo anno in Roncaliis regni Italici procerum comitia habita, recitat quoque ille exordiũ legis à Lothario tùm promulgatæ, ab hiſce verbis incipiens: *Cum apud Roncalias ſecundum antiquorum Imperatorum conſuetudinem, pro iuſtitia ac pace Regni componendâ conſederemus.* Vereor itaque ne hoc ipſum procemium vendítent nobis Bononienſes iſti pro exordio legis de jure civili interpretando. Si factum, profectò periniquè eſt factum. Nihil enim lege illâ de docendo jure, ſed de bonis feudalibus, ne quis illa injuſſu ſeniorum, quos vocant, diſtrahat, cautum eſt: ut rectè ſcribit Sigonius & ex ipſius legis paſſim obviæ verbis eſt notiſſimum. Ne verbulo autem innuit Sigonius actum de dicundo jure: neque id ex legis illius procemio eſt colligere: niſi fortè trahenda huc putes illa, *pro iuſtitia componendâ*: quod explodi potius meretur quàm confutari.

Igitur etiam ex ipſo illo Bononienſium doctorum Reſponſo manifeſtum fit quod diximus, nullum Bono-

niæ reperiri antiquum monumentum de Iure Romano per Lotharium in ſcholas reducto. Non minus verò id confirmare eſt ex iis quæ illi Nicolao Alidoſio civi Bononienſi, quo præcipuè teſte nituntur, attribuunt. Huic videlicet *ſummis vigiliis indefeſſisq. laboribus octo perluſtrata tabularia publica, ac cœnobiorum archiva ſtudio pertinaci excuſſa*: ſcriptoſque ab illo libros de ſcholæ Bononienſis doctoribus, cumprimis de Iureconſultis. Memorat is quidem Lotharii juſſu Irnerium Romanas leges interpretatum eſſe: ſed cum dicit factum id circa annum M C XXIIX (quod à vero eſſe alienum rectè obſervatum à noſtris Bononienſibus doctoribus) prodit profectò ex famâ id potius ſcriptum quàm vetuſti teſtimonii fide. Meretur verò & id obſervari: à Bononienſibus noſtris tantùm ex præfatione Alidoſii in libr. de doctorib. juris Bononienſib. illa de Lothario adduci, unde conjicere eſt, ipſo in opere non eſſe ab Alidoſio iſto productum aliquod monumentum vetus Lotharii. Si autem ejuſmodi quid nec eſt Alidoſio viſum, quid amplius dubitemus aſſerere, ne quidem Bononiæ ſupereſſe? Tantum igitur abeſt, Alidoſii teſtimonio firmari famam illam, ut nullo æquè pateat omni eam certitudine deſtitui.

Hactenus ergo luculentè oſtenſum eſt, ni fallor, ſaltim temere vulgò Lothario auctori adſcribi Iuris Romani in ſcholas reductionem. Idem nunc etiam falſitatis convincemus, eo argumento, quod antiqua & fide digna monumenta quotquot hanc rem attigerunt, longè alia de primordiis renovati ſtudij Iuris Romani prodiderint. Conradus Abbas Vrſpergenſis qui unus omnium ſequioris illius ævi hiſtoricorum tantam rem memorare non neglexit, cum de Lothario ſecundo feciſſet verba ita ad-

 dit:

dit; *Huius temporibus magiſter Gratianus canones & decreta in unum compilavit. Eiſdem quoq; temporibus dominus VVernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quiſquam in eis ſtuduerat, ad petitionem Mathildæ comitiſſæ renovavit; & ſecundum quod olim à divæ recordationis Imperatore Iuſtiniano compilati fuerant, paucis fortè verbis alicubi interpoſitis, eos diſtinxit.* Mathildis quidem & Gratiani tempus non accuratè ad Lothariani Imperii annos quadrat; Lothario tamen reſuſcitati juris ſtudij laudem aliquam non tribuit Vrſpergenſis ſed Mathildi. Nec temerè tamen Lotharium ille præterijſſet, ſi quas fama partes hac in re Lothario tum tribuiſſet. Fuit enim ipſe Vrſpergenſis ut hiſtoriæ ita & legum ſtudioſus (ut alias dicetur) nec Lotharij ætate multum inferior: quum enim ille humanis exceſſerit anno MCXXXVII, hic (quemadmodum ipſe teſtatur) factus eſt preſbyter anno MCCII, quinquennio pôſt monachus Præmonſtratenſis, iterum octavo poſt anno conſtitutus Abbas Vrſpergenſis. Quî ergo tanti facinoris recens adeo famâ hominem doctum & harum rerum ſtudioſum latuiſſet, ſi quid in hanc rem jam tum de Lothario fuiſſet vulgatum? Ridiculum eſt quod ſcribere non erubuit Nihuſius; Vrſpergenſis hæc ab initio ſtatim ab hominibus doctis rejecta: quum tamen neminem ex paulò antiquioribus nominatim potuerit laudare qui rejecerit. Bononienſes in ſuo Reſponſo tria cumprimis objectant: primum eſt quod Mathildis & Lotharii ætas non congruant; alterum quod Bononia nunquam paruerit Mathildi, adeoq; à Mathilde non potuiſſe Iuris diſciplinam inſtitui; tertium, non potuiſſe à Mathilde in omnem Italiam juris Romani uſum introduci, cum non omni

Italiæ

Italiæ imperaverit. Verùm enimvero, ultimum quidem illud ad Vrſpergenſem nihil: neque enim ille Mathildi adſcribit uſum juris illius in foro. Primum jam faſſi ſumus: παχύλως nimirum quædam ab Vrſpergenſi heic dicta. Secundum verò nullius eſt contra Vrſpergenſis quidem narrationem ponderis. Eſto enim; Bononiam extra ditionem Mathildis fuiſſe: nihilominus tamen Irnerium illa rogare potuit & ad jus renovandum permovere, quod unum Mathildi Conradus attribuit. Saltim hoc igitur ex Vrſpergenſi diſcimus, non primùm Lotharij juſſu ſed jam ante principatum illius, Mathilde obſtetricante, ab Irnerio Romani juris diſciplinam aliquam inſtitutam.

Porrò etiam illa quæ ab Henrico Cardinale Oſtienſe, & Odofredo Bononienſe Iuriſconſulto, duobus maximis auditoribus Azonis, (quem diſcipulos Irnerij audiviſſe & anno M CC XV obiiſſe conſtat) de origine renovati Romani Iuris narrantur, nihil de Lothario habent, ſed non obſcurè innuunt privato potius ſtudio omnia iſthæc cœpiſſe. Henrici verba hæc ipſi Bononienſes ex *comment. in c. pr. extr. de Teſtament. n. 2.* adducunt in Reſponſo ſuo: *As, id eſt, duodecim unciæ. as ergo quandoq; ponitur pro obolo. Propter quod verbum venit Bononiam ſtudium civile; ſicut audivi à Domino meo.* ſignificat autem magiſtrum Azonem. Ex his vero Oſtienſis verbis apparet initium renovandæ Iuris diſciplinæ non Cæſareo alicui mandato deberi ſed grammaticæ controverſiæ neſcio quomodo excitatæ. Ex Odofredo porrò Bononienſes illi tantum hoc memorant: Irnerium initio operam poſuiſſe in evolvendis Codice, Digeſto veteri & novo atque Inſtitutionibus Bononiam tunc perlatis: inde

oblatum illi Infortiatum ſed primò tribus partibus mutilum, mox integrum, tandem inventum librum Authenticorum; atque ita Bononiæ docentis munera Irnerium eſſe auſpicatum. Ejuſdem Odofredi teſtimonio ſcribit Ioannes Fichardus, ante Irnerium quendam Piponem jus docuiſſe, non tamen ex publicâ cathedra. Itaque & Odofredus non obſcurè teſtatur, nullam Cæſaream auctoritatem ad ius docendum acceſſiſſe.

Notatu porro digna ſunt Bononienſiũ doctorum verba Reſponſo inſerta. *Ab anno centeſimo vigeſimo octavo, ſupra milleſimum, Bononiæ Iuris publicæ profeſſioni exordia dediſſe, priſcorũ tradunt memoriæ ad hæc uſq; tempora conſtãtiſſimè perducta. Eapropter publici gymnaſii noſtri inſigni loco, ubi legislatorũ, Iuriſconſultorum ac interpretum quamplures non ementitæ conſpiciuntur imagines, illa Iuris hunc titulũ promeruit: Irnerius omnium primus leges commentatus eſt anno M C XXIIX.* Hæc illi. Quæ ſi vera ſunt, liquet profecto Iuris profeſſionem publicam Bononiæ non cœpiſſe ex Lotharii aliquo inſtituto. Scilicet Conradi Suevi partibus addicti tum Bononienſes Lotharium prima quidẽ expeditione, anno triceſimo tertio, in Italiam euntem ſpreverunt, altera demum expeditione, anno M C XXXVI, ægrè in gratiam à Lothario ſunt recepti: ut latè Sigonius narrat. Itaque ſi qua Bononiæ Iuris publica profeſſio jam ante annum triceſimum ſextum cœpit, illa profecto non debetur Lothario. Hoc certè adeo eſt liquidum, ut ipſi Bononienſes doctores hiſtoriæ evidentiâ permoti refellant illos qui Lothario exordia hujus profeſſionis jam tum circa annum viceſimum octavum adſcribunt: imò ultrò fateantur, *Irnerium privatâ auctoritate interpretationi Legum initia dediſſe*, poſt demum Lotharii legem acceſſiſſe.

ceſſiſſe. Quorum ultimum conjectura inani nititur, prius fidem ab hiſtoria accipit.

Cæterùm ut ante alteram illam Lotharij Italicam expeditionem ſtudia Iuris jam in pretio fuiſſe, ità neq; tùm Bononiæ à Cæſare illo præ aliis urbibus Iuris ſcholam conceſſam, haud difficile collectu eſt ex ijs quæ Francillus Taurellus de Pandectis Florentinis refert, præfatione ejus editionis qua opus illud exactius typis excudi voluit. Verba quædam digna ſunt quæ hic memorentur. *Pandectarum id ſeu Digeſtorum eſt antiquum volumen, Florentiæ nunc, Piſis olim adſervatum, cum Amalphi prius omnem ſupra memoriam fuiſſet. Inde acceptum Piſani, quod Innocentium II Pontificem maxim. & Lotharium Cæſarem item II claſſe adverſus Normannum Rogerium juviſſent, egregiè navatæ operæ monumentum retulerunt, diuq; penes ſe habuerunt: donec per Ginum Caponium, æquè nobilem ac ſtrenuum virum, Florentini, anno ſalutis* CIↃ CCCC VI, *Piſis in poteſtatem redactis, ſubiectionis ſymbolum tranſtulere. Liber itaque illo ex tempore ſumma cum curâ ac religione, tanquam cœlo delapſus eſt cuſtoditus. Atque hæc ex antiquis Piſanorum annalibus apud Plotium Gryphium eorum civem accepimus. Quibus & Raphael Volaterranus per omnia ferè adſtipulatur. Et illo multò antiquior Raynerius Grachia Piſanus his libris, quos ante ducentos fermè annos de bello Tuſco conſcripſit. Sed & Plotius idem affirmat, antiquum inſtrumentum ſe domi habuiſſe donationis eius in Piſanos per Lotharium collatæ, quod poſtea contagioſæ peſtis periculo vitando inter alia ſcripta igne conſumptum fuit.* Hæc Taurellus. Idem non multò pòſt addit nonnulla apprimè notatu digna. *Hic liber vetuſtatem atq; adeo auctoritatem plurimam vel uno argumento commendare poteſt, quod poſtremi Digeſtorum tituli paginis carie*

*diſiectis, & ab imperito vel indiligenti quopiam homine, præpoſterè concinnatis atq; compoſitis, penultima antepenultima prælata eſt, hacq; poſterioris in ſedem reiecta. Hic error in omnes, quos vidimus vel calamo vel typis deſcriptos libros, irrepſerat. Cum igitur nullum Digeſtorum volumen præpoſteri huius ordinis expers in manibus habeatur, fatendum eſt, & ex hoc cætera fluxiſſe, errorisq; originem eſſe vetuſtiſſimam.* Vltimum hoc præter alios, ſuo quoq; teſtimonio confirmat, vir longè doctiſsimus, Iacobus Auguſtus Thuanus *l. 1. hiſtor. vitæ ſuæ*, ubi de Florentia ſibi viſâ narrat. *In eadem urbe*, inquit, *in palatio cum cæteris cimeliis reſervatur Pandectarum opus, quod Thuanus dum evolveret, ex ſcripturâ antiquiſſimum eſſe, & ex ligaturâ archetypum, ex quo omnia noſtra exemplaria deſcripta ſunt, animadvertit.* Ex his omnibus ea, quæ ante dixi, niſi valdè fallor, luculentè ſatis patent. Neque enim Piſani tanti feciſſent illud Pandectarum volumen, ſi non jam tum magno in pretio haberi cœpiſſet Romani veteris juris auctoritas. Neque Lotharius donâſſet Piſanis Pandectas, queis ſine diſciplina Romani juris minimè profectò integra eſt, ſi Bononiæ juris illius ſcholam habendam conſtituiſſet. Scilicet ſi Bononienſium doctorum conjecturæ credimus aut etiam Alidoſii ac Bonifacii narrationibus, jam antè cœpit Bononienſis illa juridica ſchola, quàm Pandectæ Piſas ſunt tranſlatæ. Bononia ergò potius quàm Piſa à Cæſare tantum munus impetraſſet; ſi à Cæſare ſchola illa inſtituta, & quidem in publicis regni comitiis, quod perſuadent ſibi Bononienſes doctores.

Poſtremò Ius illud privato quodam ſtudio doceri cœptum, Caroli quoque Sigonii videtur haud obſcurè teſtimonio probari poſſe: ſi quid ejus valet fides. Non

tan-

tantùm enim in Hiſtoria Bononienſi narrat Irnerium jus interpretatum eſſe Mathildis rogatu, verùm in eam plane ſententiam loquitur *l. xv de regno Italiæ.* Verba integra jam tùm ſuprà hoc ipſo capite adduximus: hîc notari meretur dicere ibi Sigonium; *multas civitates juris interpretandi SIBI negocium adſciviſſe: primos Bononienſes Pandectas ex loco ſuperiore exponere inſtituiſſe: eoſdem ubi ſui non ſuppeterent peregrinos ſtipendio conduxiſſe.* Si autem hæc aliquid habent veritatis, Lothario ſane neutiquam juris interpretatio accepta ferenda eſt, verùm laus illa aut unicè aut potiſſimùm eſt ipſius Bononiæ.

Cæterùm ut illa Sigonii (ceu nuperè nata) nullam mereantur fidem: quàm falſum tamen ſit, à Lothario reſtitutam Romani juris doctrinam, perſpicuè jam expoſitum eſt.

## CAPVT XXII.

*Quod vulgò aſſeritur, Lotharii Cæſaris juſſu abrogatis receptis omnibus legibus ſolas Romanas in fora Italica reductas, id falſum eſſe demonſtratur.*

DE ſecundo plus ſatis. Conſequens eſt videamus, num Lotharii Cæſaris juſſu in Italia abrogatæ ſint receptæ hactenus leges, Langobardicæ ſcilicet & Francicæ, & in earum locum ſolæ Iuſtinianeæ reductæ: quod non minus vulgò aſſeritur, ab alterâ tamen quæſtione multum eſt remotum. Namque doceri juſſæ fortè ſint leges, non tamen ut ſecundùm eas ſolas etiam in foro pronunciare-

 tur.

tur. Enimverò vetuit quidem Honorius Papa Pariſiis alibique doceri Romana jura, quod eorum uſus nullus tum eſſet in foris Galliæ: in ipſa tamen Gallia doceri cœperunt etiam tum cum in foris minus obſervarentur. *Imo ubi Academiæ & Profeſſiones iuris* ( verba ſunt Ioannis Tilii locupletiſſimi Francogallicæ reipubl. ſcriptoris) *in Galliâ inſtitutæ ſunt & ornatæ privilegijs, nominatim proteſtati ſunt reges, ſe Iura illa non auctoritatis loco ſed rationis tantùm accipere.* Idem & alibi factum, ubi hodieque ſcholæ quidem jura iſta excolunt, at fora reiiciunt.

Cæterùm ut ad præſens negotium accedamus, antiqua profectò monumenta conſulentibus etiam hæc de Lothario Cæſare fama non incerta tantùm videtur ſed etiam longè falſiſſima. Principio enim, quod de hiſtoricis ſcriptis ab illo uſque tempore ad avorum memoriam exaratis ſuprà diximus, nihil in ijs contineri de Iure illo in ſcholas à Lothario reducto, id veriſſimè affirmare etiam eſt de uſu illius juris in Italiæ foris, qui itidem Cæſari iſti tribuitur. Certè hactenus à nemine quidquam paulò vetuſtioris teſtimonii eſt editum. Sed nec edi poſſe, merito collegeris inde, quoniam neque Sigonius neque Bononienſes nuperi doctores, neque alii quibus hoc curæ fuit & nihil non lectum eſt Italiæ ſcriptorum, non ità hoc affirmarunt ut haud diſſimulaverint, famæ popularis fide totum hoc niti. Sigonius videlicet omnes Lotharii res in Italia geſtas uſque ad obitum perſequitur diligentiſſimè: quâ narratione finitâ demum ità addit: *Conſtans doctorum hominum monumentis eſt fama, Lotharium ut ex uno Iure civili Romano poſthac iudicia fierent, lege ſanxiſſe.*

Ex fa-

Ex famâ itaque totum hoc eſt acceptum, non ævi veteris ſed doctorum recentiorum. Iam verò Bononienſes in Reſponſo ſuo nihil adferunt ex ævo paulò remotiore. Semel obiter meminerunt Legis cujuſdam à Lothario latæ: ſed illam ſuprà jam exploſimus. Et verò longè certiſſima ſunt quæ Fridericus Lindenbrogius habet, *præfat. ad cod. leg. antiquar. Nonnulli commentum novum addunt, Irnerium quidem è ſitu ac pulvere jus Romanum reproduxiſſe, uſum autem ejus in foro, abrogatis alijs omnibus legibus Lotharium iterùm edicto publico confirmaſſe. Hoc quidem illi dicunt; ſed rectiùs faciunt qui illis fidem non habent. In re enim ſeriâ æquè pernicioſum eſt, ficta ſtolidè credere, quàm falſa confingere. Et vellem ſanè Edictum hoc Lotharianum aliquis nobis oſtendiſſet. Quod cum hactenus factum non ſit &c.* Hæc Lindenbrogius veriſſimè. Neque enim hujus Lotharianæ legis vel gry exſtat, cum alia ejus & Conradi & Friderici ad nos pervenerint. Indubiè verò ipſi Codici debuiſſet inſeri illa tanti momenti conſtitutio: imò ex more ejus ævi fuiſſet inſerta, quomodo Friderici ſanctio de *privilegijs ſcholarium* in codice, *Ne filius pro patre*, locum invenit. Quis ſanè crediderit tantæ rei conſtitutionem in Italiâ prorſus interiiſſe? hominibus doctis magno numero Romana illa jura ibi excolentibus?

Certè, quum nulla hodie lex, nullum teſtimonium, paulò vetuſtius ſuperſit, quo probari poſſit Lotharium receptas hactenus leges in Italiâ antiquaſſe ſolis Romanis ſubſtitutis, quàm temerè id vulgo affirmetur, liquidum eſt. Abire autem etiam à vero iſthuc omne hinc patebit. Principiò enim indubium eſt, ſi quid tale à Lothario eſt conſtitutum, factum id eſſe in regni

Italici comitijs. Neque enim in poteſtate ejus fuit omnes leges abrogare niſi ex ordinum regni illius conſenſu. Si autem hiſtorijs credimus, ſemel tantùm ab illo, & quidem ſecunda expeditione Italicâ, anno Chriſtiano poſt milleſimum centeſimum ſexto triceſimo, in Roncaliis conventus totius regni eſt habitus: tum verò longè alia ſunt acta, ne minora quidem prætereuntibus annalibus. Sed & ſequente demum anno inventæ ſunt Amalphi Pandectæ & Piſanis victoribus donatæ: quod & Sigonius prodit. Mirum verò, ſi ſolum jus Romanum in fora ſit receptum, nondum Pandectis repertis.

Eſto verò hoc argumentum levius. Omni exceptione majus petitur ab uſu Langobardæ legis etiam diu poſt Lotharii ætatem per Italiam ſuperſtite. Non equidem certò affirmarim ego id quod nonnulli ſcribunt, nec improbat Melchior Goldaſtus, anno poſt milleſimum centeſimum quadrageſimo, adeóque poſt obitum Lotharii demum in Codicem illum leges Langobardicas relatas qui hodieque tribus libris diſtinctus ſupereſt. Illo tamen circiter tempore opus hoc concinnatum eſſe, per eſt veriſimile. Namque in multis exemplaribus collectio iſta tribuitur Petro Diacono Caſſinenſi: quem à Lothario Cæſare Logothetam Italicum, Exceptorem, Cartularium & Capellanum Romani Imperii conſtitutum eſſe, liquet ex Lotharii ipſius *epiſtolâ ad Guibaldum Caſſinenſem Abbatem* quæ recitatur in Chronico Caſſinenſis monaſterij. Nec in illius Codicis antiquis manuſcriptis temere ulli⁹ Germanici Cæſaris conſtitutio habetur, quæ recentior ſit Lothario ac fortè ejus ſucceſſore Conrado. Certè Caroli

rolli IV edictum, quod *lib. III. t. I. editionis Lindenbrogianæ* exſtat, non habet Goldaſti editio: nequeillud ad regnum Langobardicũ pertinet. Confectum verò hunc Codicem fuiſſe jam ante Fridericum Cæſarẽ, vetat nos dubitare auctor conſuetudinum feudalium qui *l. II. tit.* XXII *&* LVIII hanc ipſam noſtram diſtinctionem in citandis Langobardicis legibus obſervat. Cæterùm ſi illâ Lotharii aut Conradi ætate leges Langobardicæ â logotheta Cæſareo in codicem ſunt relatæ, quis crediderit Lotharii juſſu Leges illas Langobardicas eſſe antiquatas? Inane profectò fuerit in codicem referre quod nulli amplius uſui erit. Verùm hoc fortaſſis haud ſatis liquet, quum multa illius codicis exempla nomen Petri-Diaconi non præ ſe ferant: nec deſint qui ex Odofredo ſcribant, Apuliæ quoſdam reges qui de Sardinia in Apuliã venerunt fuiſſe compilatores Lombardæ legis, alii ex *Gloſſ. in cap. I. in verbo, Scriptum* XXXIII *q. I.* narrent Carolum quendam iſtius operis auctorem. Etſi enim ridiculum ſit creditu illud de Apuliæ regibus, quos per craſſiſſimam *ἀναχρονίαν* Odofredus cum antiquis Langobardorũ regibus confundit; & Carolus Cottus ille, quem gloſſator notat, commentario codicem iſtum illuſtraverit adeoque opus illud minimè congeſſerit: tamen ne videamur incerto argumento noſtra probare, potius hoc omittemus. Langobardicas tamen leges poſt Lotharii obitum in ipſis Langobardici Italiæ regni foro obſervatas, non eſt quod dubitemus. Diſertè ſiquidem hoc affirmat auctor Conſuetudinum feudal. Langobardicarum Obertus de Orto, quem Friderico I Cæſare circa annum MCLX Mediolani conſtat floruiſſe. Verba

ejus

ejus ad Anſelmum filium *l. II. tit. I.* hæc ſunt: *Cauſarum quarum cognitio frequenter nobis committitur, aliæ diriments tur iure Romano, aliæ verò legibus Langobardorum: aliæ autem ſecundum regni conſuetudinem.* Paulò pòſt de jure Romano addit: *Legum autem Romanarum non eſt vilis auctoritas: ſed non adeo vim ſuam extendunt ut uſum vincant aut mores.* Alibi, & quidem nominatim libri hujus ſecundi *tit.* XXII *&* LVIII, haud pauca adducit idem auctor, quæ ſecundum leges Langobardicas ſint tenenda. Si in foro autem etiamtum valuit Lex Langobardica, ſi juris Romani tùm tantum *non vilis fuit auctoritas*, manifeſtum utique eſt non ex ſolo Romano jure cauſas tùm judicatas eſſe, nec aliquo Cæſareo regnique illius procerum ſcito priſcas leges paulò antè fuiſſe antiquatas. Illas verò ipſas Langobardicas leges etiam ſequentibus ſeculis auctoritatis ſat multum retinuiſſe in Italiæ foris, haud obſcurè patet ex eo, quod Carolus Cottus Siculus, Placentini Iuriſconſulti diſcipulus, ante quadringentos annos commentarijs eas illuſtraverit: cujus induſtriam imitati ſunt Nicolaus Boërius, Andreas de Barulo & Ioannes Baptiſta Nanna. Patrum memoria ſcripſit Iacobus Spigelius: *Eſſe quaſdam Italiæ civitates, quæ in hanc uſque diem judicia ſua ex edictis Langobardorum magis quàm ex decretis Imperatorijs exercent.* Item: *in Tranſpadana regione certa capita Langobardicarum legum etiamnùm ſervari: idque ſatis notum ijs eſſe qui volumina interpretum Iuris civilis verſant.* Melchioris Goldaſti *in prolegomenis Collectionis Conſuetud. & legum Imperial.* verba hæc ſunt: *Franciſcus Curtius Iunior probaturus Leges Langobardorum in diſceptandis litibus auctoritatem habere, profert ſententias Gloſſatorum*

*torum utriusq; iuris, nimirum Accurſii, Pilei, Conradi, & Ioannis Theutonici, veterum Iuris interpretum.* Si horum verò interpretum Iuris ætatibus nunquam non auctoritatem ſuam retinuit Langobardicum jus, poſt Fridericum etiam Cæſarem, indubiè non illud à Lothario eſt antiquatum: adeoq; nec ſolum Romanum jus ejus mandato in fora Italiæ eſt traductum. Certè unicum hoc ſufficit convincendo populari errori: ideoque nec à me vel verbulum porrò adjicietur.

## CAPVT XXIII.

### *Vera hiſtoria reducti Iuris Romani in ſcholas & fora Italiæ.*

POſſumus meritò ab hoc loco diſcedere, poſteaquã clarè evictum jam eſt, nullam Lotharii auctoritatem ad Iuris Romani reductionem ſive in ſcholas ſive in fora Italiæ, acceſſiſſe. Fortaſſis tamen etiam illud exponendum, quomodo ergò reductio illa contigerit. Conſtat quippe illâ ipsâ ætate mirum in modum cœpiſſe in Italiâ Romanum jus invaleſcere; nec tamen facilè patet quomodo id fieri potuerit, ſine Cæſareâ auctoritate. Et verò hæc dubitatio videtur multos adeò in illam de Lothario ſententiam perduxiſſe. Igitur id primùm in memoriam revocandum, quod ſuprà jam eſt probatum, ſemper uſum aliquem Romani juris in Italiæ foris remanſiſſe, etiam Langobardorum, Francorum, & Germanicorum regum ætate, imò in populi ſingulorumq; tandē fuiſſe liberrimo arbitratu poſitum Romanam, Langobardicam aut Salicam legem ſibi eligendi.

gendi. Non potuit verò non initio Romanum jus in exiguo eſſe uſu, cùm quòd primores Italiæ Langobardici aut Francici eſſent ſanguinis adeoque patrijs potius legibus mallent vivere, tùm quod Romanæ leges minus benè intelligerentur, quæ illorum erat temporum conditio. At in illarum explicationem, occaſione fortaſſis Grammaticæ controverſiæ de aſſe motæ, magno ſtudio Bononiæ incumbente Irnerio, eaſque ab æquitate & ſingulari prudentiâ commendante, indubiè hactenus minus cognitæ rei crevit, ut ſolet, admiratio. Itaque & Mathildis, potentiſſimæ ejus ætatis per Italiam fœminæ, rogatu magis magiſque ad jus illud illuſtrandum inductus eſt Irnerius, & Bononienſes cives novo exemplo ſcholam publicam doctrinæ juris, forte circa annum CIↃ IↃ XXIIX, inſtituerunt. Inde intelligi ſolito clarius illud jus & paſſim per Italiam ſingulari in veneratione eſſe, imò in fora tantum non unicè recipi cæptum. Neque verò publico quodam decreto fuit opus, quo uſus ejus invaleſceret, cum etiam antehac non omnino nihil obſervatum, & in ſingulorum arbitrio, ex receptâ dudum Lotharij primi conſtitutione, fuerit collocatum Romanis an Langobardicis Iuribus ſeſe ſubmittere. Vt nunc autem Romana plærique ſponte ſuâ mallent, præter inſignem illam novam æquitatis & prudentiæ opinionem, haud injuria factum fortè ſuſpiceris cupiditate illâ novarum rerum & Germanici imperii tædio: queîs poſt Henricorum Suevicorum Cæſarum infelicia tempora, Italicos omnes vehementer laboraſſe, rectiſſimè etiam Carolo Sigonio eſt notatum.

Hæc omnia penè liquent ex ijs quæ in medium jam

tùm

tùm adduximus. Quanto verò deſiderio priſci ſtatus circa ipſa illa tempora flagraverint Romanæ urbis cives, non ſine uſu eſt cognoſcere ex epiſtola ad Conradum id nominis alterum miſsâ, & oratione legatorum quâ Fridericum primum exceperunt, apud Ottonem Friſingenſem *l. 1. de geſtis Friderici c. 28. & l. 2. c. 21.*

Nec verò eſt quur miremur æquitatis opinione placuiſſe tùm Italis Romanum illud jus. Enimverò illo uno nomine trans Alpes jam tum ſeculo tertio decimo penetravit. Neque verò ulla aliâ de cauſsâ vel Hiſpani vel Galli Romanum jus admiſerunt. Notatu digna apprimè ſunt quæ Ioannes Tilius, vir Gallicarum rerum peritiſſimus in hanc ſententiam *l. de repub. Gallicâ* memorat adductis ipſius Philippi Pulchri regis verbis. *Propterea*, inquit, *ubi Academiæ & profeſſiones juris in Gallia inſtitutæ ſunt, & ornatæ privilegiis, nominatim proteſtati ſunt Reges, ſe jura illa non auctoritatis loco, ſed rationis tantùm accipere. Inter archiva privilegiorum à Philippo Pulcro Rege conceſſorum, in Aurelienſibus ſcriptis menſe Iulio milleſimi treceteſimi duodecimi, rex Philippus narrat: regnum ſuum conſuetudine non jure ſcripto gubernari, præterquam Provincias quaſdam, ubi proſpicientibus regibus anteceſſoribus populares plurimum utuntur iure ſcripto: non quod obſtricti ſint, ſed quia illud ſibi continuandum aſſumpſerunt. Et quemadmodum liberales artes ſerviunt Theologiæ, ita leges ſcriptas ad rationem informatricem morum intelligendam adiuvare, docere ius ſuum cuique tribuere ex ratione ſecundum Deum, & conſuetudinum intelligentiam comparare. Atque ut Romani legibus Græcorum uſi ſunt, unde duodecim tabulæ profluxerunt, ita etiam Reges voluiſſe Romanum ius & ſcriptum publicè legi & diſci in regni Academiis, ut doceretur æquitas & excoleretur ratio, ex quibus*

*bus plurimum in regno Galliæ iudicatur. Quod ſi decreta, iudicia & ſtatuta conſuetudinibus anteponenda deerunt, neque habebitur contraria conſuetudo, ex qua fuerit iudicandum, poſſe adhiberi leges. Ne quiſquam cogitet, iuridicis Academiis in regno inſtitutis, Reges conſuetudini atque rationi leges iuraq́ ſcripta prætuliſſe, multa prodeſſe ad doctrinam quæ tamen non accipiuntur; exemplo Eccleſiæ quæ canones multos non accipit, & tamen ex conditione leguntur in Academiis. Senſa enim, mores & conſuetudines hominum ex variis temporibus & locis collecta non mediocriter ad doctrinam conferre. Hactenus illius inſtrumenti verba*: & hucuſque Tilius. Pari verò æquitatis opinione in Hiſpania quoque invaluiſſe jus Romanum liquet ex ijs quæ Polycrates narrat *l. III. cap.* XXII de Stephano Caſtellæ rege, qui indignatus à populo has leges ceu juſtiores Gothicis præferri, totas aboleri iuſſit. Igitur mirum non eſt, in Italiâ etiam receptas leges illas Romanas, etiamſi nulla Cæſarum auctoritas acceſſerit. Scilicet harum legum uſu illâ ſtatim tempeſtate gloriatos quàm maximè eſſe Italicos, liquidò perſpicere eſt ex ſermone Friderici primi, quo in campis Roncalijs Italos eſt allocutus, narrante Radevico *l. II. cap.* V: Meretur tota hiſtoria hìc adſcribi, præſertim cum ante illud tempus (agebatur autē annus Chriſti poſt milleſimum centeſimū quinquageſimus octavus) Iuris Romani doctores comitijs regni Italici interfuiſſe haud legas. *Sequentibus*, inquit Radevic⁹, *diebus, plenâ, atq́ ſolenni curia, iudicio & iuſticiæ à mane uſque ad veſperam intentus, querimonias & proclamationes tam divitum, quàm pauperum diligenter audiebat. Habenſque quatuor iudices, videlicet Bulgarum, Martinum, Iacobum, Hugonem, viros diſertos, religioſos, & in lege doctiſſimos, legumq́ in civitate Bononienſi doctores,*

*& mul-*

*& multorum auditorum præceptores, cum his, aliisque legiſperitis, qui diverſi ex diverſis civitatibus aderant, audiebat, diſcutiebat, & terminabat negocia. Videns autem multitudinem eorum qui cruces baiularent (is enim Italorum mos eſt, ut habentes querelas crucem manibus præferant) miſertus illorum, ait, Mirari ſe prudentiam Latinorum, qui cum præcipue de ſcientia legum glorientur, maxime legum invenirentur tranſgreſſores, quàmque ſint tenaces iuſticiæ ſectatores, in tot eſurientibus & ſitientibus iuſticiam evidenter apparere.* Hæc ipſe Fridericus Cæſar. De Langobardis eodem tempore ita cecinit Guntherus *lib. II.*

*Gens aſtuta, ſagax, prudens, induſtria, ſolers,*
*Provida conſilio, legum Iuriſq́ perita.*

Item: *Illa tamen legum prudens, & Iuris amori*
*Dedita gens.*

Et verò jam illo tempore Italos acri ſtudio incubuiſſe Iuris Romani diſciplinæ, vel ex eo liquet, quod una Bononia jam tum quatuor habuerit Iuris profeſſores & quidem, ut Radevicum loquentem modò audivimus, *multorum auditorum præceptores.* Indicat idipſum laudatiſſimi illius Friderici Cæſaris authentica *Habita* in gratiam Iuris ſtudioſorum maximè edita, quam Codici *Ne filius pro patre*, iuſſit inſeri. Fortaſſis tamen non ab omnibus æquè eſt benignè de Romano illo jure judicatum. Certè S. Bernhardi ad Eugenium Papam longè alia tùm ſententia fuit. *Quotidiè*, ait, *perſtrepunt in tuo palatio leges: ſed Iuſtiniani, non Domini. Rectius etiam? Iſtud tu videris. Nam lex Domini immaculata, convertens animas: ea autem non tàm leges quàm lites ſunt & cavillationes ſubvertentes iudicium.* Credidit ſcilicet ille, ab i-

ab ipſis hiſce Romanis legibus eam litium multitudinem ortam, quam quidem prima etiam reparati Iuris Romani tempora comitatam eſſe, ex Radevici illâ ante prolatâ narratione manifeſtum eſt. Verùm ut nonnulli fortè ita cum Bernhardo ſenſerint, indubiè tamen plærique magno tùm Romana iſthæc jura honore venerati ſunt.

Igitur, ut in breve omnia quæ de initijs reſtituti juris Romani diſſeruimus, contrahantur; Cœperunt illa Jura iterum apud Italos refloreſcere ſpontaneo populi ſtudio, penes quem nempe arbitrium erat vel Langobardicas vel Romanas leges ſectandi, enatâ opinione Romanum jus Langobardico & æquius & plenius & utilius eſſe, Non negaverim tamen ad populi hoc ſtudium paulatim etiam Cæſarum curam acceſſiſſe. Certè de ſemetipſo, neſcio quid, videtur Fridericus I Cæſar in hanc ſententiam prædicare, in Roncalibus comitijs apud Radevicum *lib.* IV. *cap.* III. *Noſtis quod Jura civilia noſtris beneficijs in ſummum provecta, firmata, ac moribus utentium approbata, ſatis habent roboris*, Verùm quomodo ille jura civilia provexerit, haud liquet; nec enim hiſtorijs eâ de re quidquam eſt proditum & unica tantùm Cæſaris hujus conſtitutio, quæ nonnihil huc faciat, exſtat, de *privilegijs* nempe *ſcholarium*. Non dubium tamen eſt illius optima cum gratiâ Romanas illas leges invaluiſſe: quoniam & ipſe ad antiquorum Cæſarum potentiam ac jura adſpirabat, & Romani juris doctores jam tùm, quæ in legibus illis de Cæſaribus antiquis dicuntur eorumque poteſtate, ſui temporis Cæſaribus ibant attributum. Nota eſt contentio Bulgari & Martini coram ipſo Friderico inſtituta, *quomodo Imperator ſit*

domi-

*dominus mundi* : Martino quod ille omnium bonorum *dominium* Cæſari tribuiſſet, Bulgarus tantùm *imperium*, ab ipſo Cæſare equo donato, enatâque hinc Bulgari illa haud inficetâ querelâ : *dixi æquum, amiſi equum, quod non eſt æquum.* Neque ex alio fonte manarunt illa in oratione Mediolanenſium, quam recitat Radevicus *l. II. c.* IV in Roncalijs ad ipſum Fridericum Cæſarem habitam : *Scias omne jus populi in condendis legibus tibi conceſſum. Tua voluntas jus eſt. ſicut dicitur : quod Principi placuit, legis habet vigorem, cum populus ei & in eum omne ſuum Imperium & poteſtatem conceſſerit. Quodcunque enim Imperator per epiſtolam conſtituerit, vel cognoſcens decreverit, vel edicto præceperit, legem eſſe conſtat. Profecto ſecundum naturam eſt commoda cujuſque rei eum ſequi quem ſequuntur incommoda, ut videlicet omnibus debeas imperare qui omnium noſtrum ſuſtines onera tutelæ.* Hæc jam tùm Mediolanenſes, præter animi quidem ſui ſententiam, ex mente tamen illorum qui ex jure Romano ſui temporis rempublicam gubernandam exiſtimabant. Quod licet per ſit iniquum (ceu alibi demonſtravimus) tamen ita credi, & tùm & pòſt nunquam non vehementer Cæſaribus placuit. Adeoque illorum intelligentiores quoſque Romana hæc jura præ alijs in foro obſervari maluiſſe, non eſt quod dubitemus.

## CAPUT XXIV.

*Romanas leges non eſſe à Lothario Cæſare in Germaniam introductas : eaſdem demum ſeculo decimo tertio in Galliam & Hiſpaniam penetraſſe.*

Vide-

VIdemur fortè nimis operoſè Italica attigiſſe, qui tantùm Germanici juris hiſtoriam exponere inſtituimus. Verumenimverò non licuit illa ſicco, quod ajunt, pede præterire, vel brevi labore adverſus adeo multos defungi. Tùm verò, quando oſtendimus, nihil à Lothario in Italia circa leges eſſe motum, ſimul etiam demonſtramus, id quod maximè hujus eſt loci & *quartò* quæſitum, multo minus in Germaniam Cæſaris illius decreto Romanas leges adverſum omnis decurſi ævi mores eſſe introductas. Cui enim fiat veroſimile, Lotharium de Romanarum legum uſu in Italia, ubi illæ & hactenus nonnihil valuerant, tunc novam lucem per Irnerium acceperant, populoque omni erant acceptiſſimæ, nihil conſtituiſſe; in Germaniam verò illas traduxiſſe, quæ eas ne viderat quidem hactenus, neque eas intelligebat, multò minus eas ſibi expetebat? Certè hæc clara adeò ſunt, ut, poſtquam in Italiâ nihil à Lothario hac de re conſtitutum eſſe probatum à nobis eſt, non opus habeamus novis argumentis, queîs oſtendamus nec in Germaniâ ab illo Cæſare circa leges quidquam novatum.

Non tamen deſunt nobis plurima, quibus ſeorſim & hoc licet aſtruere. Nam ut de ſcholis Academicis ne verbulum quidem adferamus, (quas conſtat ante ſeculum Chriſti ſextum decimum in Germaniâ vix cœpiſſe.) in fora Germaniæ jam Lotharij ætate Romanas leges eſſe receptas, nullo monumento, nullo teſtimonio paulò vetuſtiore traditur. Adeoque id qui aſſerunt fabulas nobis obtrudunt & inania commenta. Quid, quod nullus Romani juris interpres, qui in Germania vixerit, ante ſeculum quinctum decimum temerè ullibi memore-

memoretur? Certè qui hiſtorias tradiderunt illorum Germanum neminem poſt Irnerium ſpacio illius temporis laudant. Vix ante illud tempus aliquem qui ſaltim titulo tenus doctor juris Romani audierit, habuit Germania. Eſt enim & id colligere ex illâ Friderico II Cæſari adſcripta in doctores illos invectiva, quam infrà in teſtimonium advocabimus. Vt autem Germania ſit uſa in foris Romano jure, & caruerit tamen juris illius interpretibus ac doctoribus, id ἐκ τῶν ἀδυνάτων eſt. Imò vel hinc ſolùm perſpicere liquidò eſt, nullum illius juris ante quinctum decimum ſeculum in Germaniâ uſum fuiſſe. Porrò ita de Germania loquitur Conradus Abbas Vrſpergenſis, ut ſub finem ſeculi duodecimi non tantùm non Romanas ſed ne quidem alias ſcriptas leges ibi obſervatas eſſe, manifeſtum ſit. Scribit videlicet ad annum MCLXXI de Friderico Cæſare & Henrico Leone Saxoniæ Duce: *Imperator ipſum Ducem frequenter evocat ad curiam, ad objecta reſponſurum: ubi quidam Principes & fautores Ducis, more Teutonicorum, qui ſine lege & ratione voluntatem ſuam pro iure ſtatuentes, contra Imperatorem hoc ius tenere voluerunt &c.* Idem ad annum MCLXXXVII. *Eo anno Fridericus Imperator jam cruce ſignatus conventum Principum apud Nurnberg coadunavit, ubi de pace terræ diſpoſuit, & in literas redigi iuſſit, quas literas Alemanni uſq; in præſens* Friedebriff *literas pacis appellant: nec alijs legibus utuntur tanquam gens agreſtis & indomita.* Ita Vrſpergenſis & de Germanis in univerſum & ſeorſum fortè de Suevis: minimè profectò ita locuturus ſi Italorum more Romanas leges Germani tùm coluiſſent, quas ab Irnerio iterū luci expoſitas adeò diligenter antè notaverat, hîc haud ob-

ſcurè earum in Germania neglectu popularibus ſuis exprobrato. Nec verò eſt quur quis credat, ſi non in Suevis, alibi tamen & quidem fortè in Saxoniâ Romanas leges obſervatas: paulò enim pòſt demonſtrabimus ſeculo demum tertiodecimo ipſum Speculum juris Saxonici eſſe conditum & quidem ex receptis tùm conſuetudinibus, alibi quoque per Germaniam paſſim novas tùm leges ſcriptas, quarum ſolarum auctoritas penè uſque ad annum poſt milleſimum quingenteſimum manſit integra.

Igitur tantum abeſt, jam Lothario Cæſare in Germaniam Romanas leges pedem intuliſſe, ut vix trecentis pòſt annis cœperint hîc innoreſcere, quando jamdudum in Hiſpaniam pariter & Galliam aliqua ex parte commigraverant. Scilicet jam ab Alphonſo rege circa annum M CC XLI Romanum jus in Partitas, quas vocant, eſt digeri cœptum, quod notavit Petrus Pithœus. Honorij III Papæ temporibus circa annum M CC XX in ſcholas & fora Galliæ videtur penetraſſe nonnihil; eâque de causâ Pariſiis & per Galliam alibique doceri vetitum, utut Papa aliud prætexat. Edictum exſtat *lib. VI Decretal. tit. de privilegijs cap. ſuper ſpeculâ* in hæc verba: *Sanè licet ſancta Ecclesia legum ſecularium non reſpuat famulatum, quæ æquitatis & iuſtitiæ veſtigia imitantur: quia tamen in Francia & nonnullis provinciis laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur, & occurrunt rarò eccleſiaſticæ cauſæ tales quæ non poſſunt ſtatutis canonicis expediri: ut plenius ſacræ paginæ inſiſtatur: & infrà. Firmiter interdicimus & diſtrictius inhibemus; ne Pariſiis, vel in civitatibus ſeu aliis locis vicinis, quiſquam docere vel audire ius civile præſumat. Et qui contra fecerit non ſolum à cauſarum patrociniis interim excludatur:*

*datur:*

*datur: verum etiam per epiſcopum loci excommunicationis vinculo innodetur.* Non ſanè tàm acriter doceri jus Romanum prohibuiſſet Papa, niſi jam tum in ſcholas ac fora illud ſaltim aliquâ ex parte tranſiiſſet, imò niſi jam tùm opinionem & auctoritatem parere ſibi cœpiſſet majorem quàm expedit Pontificiæ majeſtati: expedit autem non in nimia eſſe, certè infra Paparum jus canonicum æſtimari. Conſtat verò jam tum Placentinum Monpeſſuli Romanum jus docuiſſe. Nec tamen dixerim etiam tum occupata illis legibus fora Galliæ, ut nunc fortè. Supra ſcilicet ex ipſo Philippo Pulchro rege audivimus, quando Aurelianenſem ille ſcholam inſtituit (id autem factum anno M CCC XII.) legibus ſcriptis ràrò uſos Gallos, nec jus Romanum niſi in provincias aliquot paucas receptum fuiſſe. Franciſcus quoque Hotomannus *Francogall. cap. XX.* de ratione judiciorum Galliæ, ætate Ludovici Sancti & Philippi Pulchri obſervatâ, ex Ioanne Ionvilleo, Budæo, aliis illa narrat, quę ſatis indicant quàm procul fuerint tunc judicia à legibus Romanis. Diſertè Budæus *in annotationib. ad Pandectas* notat à Philippo illo Pulchro anno M CCC XCII conſtitutum etiam hoc: *ut Prælati & Barones* (tertii ordinis judices) *ſtatuerent qui ad quamq; iuriſdictionem exercendam idonei viderentur; ſimul ut tres viros deligerent qui in eas regiones mitterentur, quæ IVRE SCRIPTO utebantur, ut in iis ius dicerent, & ſi qua capitalis quæſtio habenda eſſet literatiſſimos quoſq; adhiberent.* Vtut autem ne quidem initio decimi quarti ſeculi per omnem Galliam Romani juris uſus invaluerit, non dubium tamen eſt jam decimo tertio ſeculo in quaſdam ejus provincias admiſſum, adeoque cum Germaniam ſeculo tantùm decimo quinto invaſerit, mani-

nifeſtum eſt quàm ſit fabuloſum illud de Romano Jure non in Italiæ tantùm ſed & Germaniæ judicia à Lothario Cæſare traducto.

Verùm quid immoramur confutandæ illi fabulæ? Subit tamen mirari, quâ origine illa cœperit tantoſque progreſſus ſumpſerit, ut etiam plurimos longè doctiſſimos viros in errorem protraxerit. An veroſimilis videtur Calixti noſtri conjectura? primo Philippo Melanchthone auctore omne hoc proditum eſſe: cujus fidem alii re, ut ſæpe fit, minus examinata, ſint ſecuti: Melanchthonem vero huc deveniſſe memoriæ quodam lapſu & ſtudio in Lotharium. Sanè verum eſt, quod eidem Calixto noſtro notetur, Chronologiarum nuperos ſcriptores Carionis Chronicon à Melanchtone confectum in teſtimonium allegare. Nec profectò infrequens, ut magna viri alicujus auctoritas multis imponat, & quidem iis maximè, qui aliis occupati plurima credere ſatius habent quàm inquirere. Quod in his hiſtoriæ minutiis eo eſt proclivius quo pauciores ſunt qui aut velint aut poſſint iis excutiendis quidquam operæ impendere.

## CAPVT XXV.

*A Friderico I legum nonnihil ſcriptum eſſe. Ceteroquin Germaniam à Carolinis temporibus uſq; ad ſeculum XIII nullis penè ſcriptis legibus uſam.*

NOn tantùm autē non Romanas leges in Germaniam Lotharius introduxit, ſed nihil omnino circa jura mutavit. Nullam certè legere hodie eſt latam ab ipſo legem quæ Germaniam obli-

obligaverit. Plures conſtitutiones promulgavit Fridericus Primus in Roncaliis Italiæ campis, præſentibus etiam Germaniæ primoribus, qui in comitatu erant: quarum magna pars hodieque ſupereſt, partim in Feudorum Longobardicorum libris, partim alibi paſſim. Sed fortaſſis nihil eorum in Germania obſervatum eſt. Majoris indubiè apud Germanos auctoritatis fuere quas in Germaniâ ipsâ tulit. Si tamen verum eſt quod Conradus Vrſpergenſis refert, non aliis legibus Alemannos ſuâ ętate uſos quàm illis de pace conſervandâ, à Friderico anno M C LXXXVII jam ſacræ expeditioni accincto latis, ne quidem omnes Friderici conſtitutiones multum auctoritatis acceperunt. Illæ tamen de pace in magno ſemper fuere pretio. Inter illa enim Germaniæ diſſidia & bella penè perpetua, quum in omnibus fermè regni comitiis pax publica novis juramentis eſſet ſtabilienda, ſecundum has Friderici leges perdiu pacis civilis controverſiæ judicatæ videntur. Etiam alia tamen, admodum licet pauca, & Friderici hujus & Henrici ſexti ut & Ottonis quarti in libros Iuris Saxonici & Suevici nec non Magdeburgenſis VVeichbildici tranſierunt.

In univerſùm verò judicia Germaniæ uſque ad tertium decimum ſeculum à Carolinorum temporibus conſiderantes, meritò dixerimus, non ex ſcripto, ſed ex receptis moribus, ex æquo ac bono, ſententias pronunciatas eſſe. Veræ enim illæ Carolinæ veteres leges, de quibus ſuprà egimus, manibus hominum exciderunt. Neque enim aliàs Epko Repkovius *prologo Speculi Saxonici* dixiſſet, ante ſeſe neminem Iura Saxonica ſcripto comprehendiſſe: neque alibi per Germaniam le-

am legum illarum ſcriptarum memoria intercidiſſet. A regibus autem qui Carolina tempora ſunt ſequuti, ut & à Principibus, vix aliquid circa leges novatum memoratur: ſcriptas aliquas leges populo propoſitas eſſe, neque memoratur, neque aliis indiciis intelligitur. Vt verò Carolina illa vetera inſtituta manſerint in populi manibus, tamen plæraque tantùm ex conſuetudine & æquo ac bono non potuerunt non decidi: in illa ſcriptarum legum paucitate & emergentium negociorum multitudine. Iam in judiciis regni Germanici publicis omni illâ ætate ſententiam dixiſſe homines literatos haud legere eſt, ſed vel ipſum Regem vel Principes non tàm literis imbutos, quàm morum & ſolius æqui gnaros. Nec ad privata judicia lecti Scabini aut judices doctrinâ præſtantes ſed quos ſenilis prudentia commendabat & experta juſtitia ac pietas. Quos utique leges Latinè ſcriptas (uſque ad ſeculum autem tertium decimum nihil penè apud nos patriâ linguâ ſcriptum eſt) intellexiſſe tantum abeſt, ut ne quidem illi legere potuerint, plæriſque tum ex plebe legendi ſcribendique imperitis.

Sed fortaſſis quem aliter ſentire faciat nomen Carolinarum legum, quas jam ante illud tertium decimum ſeculum paſſim obſervatas eſſe, reperire eſt. Namque & Saxonici & Suevici Speculi Magdeburgenſis item VVeichbildici juris auctores ita Carolinas leges laudant, quaſi ad ſua uſq; tempora ſemper fuerint in uſu. Pertinet huc quod de Ottone quarto Cæſare ad annum M CC IIX. refert Godefridus monachus. *Rex primò, deinde reliqui Principes iurant firmam pacem terrâ mariq; conſervandam, omnes iniuſtas exactiones ve-*

*et igalium deponendas, omnia etiam iura à Carolo Magno inſtituta obſervanda & tenenda.* Conſtitutum autem ita eſt in comitiis Francofurtenſibus, in quibus, eodem Godefrido ſcribẽte, tanto numero Principes Germaniæ convenerunt, *ut non in pluribus annis, tot nobiles, tot potentes, inſimul convenerint.* Verùm enimverò jam tùm ſuprà monuimus, hac tempeſtate ab imperito vulgo fermè omnẽ vetuſtiorem conſuetudinem in Carolum auctorem relatam eſſe; multa quoque alia ex illo tempore à libertatis avido & per commercia jam inſolente populo, illi attributa, alibi animadvertimus. Tum verò disertè Epko Repkovius Saxonicas leges, quas Carolo adſcribit, à ſe primùm literis traditas profitetur. Vt non dubium ſit, Carolinorum jurium nomine tùm temporis non ſcriptum ſed conſuetudinarium jus ſignificatum eſſe, per errorem plurimis alienis legibus, in hunc cenſum relatis. Vt fieri aſſolet ubi literæ deficiunt. Optimè ſcilicet Titus Livius: *literæ ſunt una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum.*

## CAPVT XXVI.

### *Seculo decimo tertio Ius Pontificium in Germaniá cœpiſſe.*

AT poſt annum milleſimum ducenteſimum ad leges ſcribendas animum Germani majore ſtudio appellere cæperunt, indubiè Italorum imitatione, aut æmulatione. Quin & circa ſeculi tertii decimi initia jus Pontificium, ſimul ac promulgatum eſt à Gregorio nono, in Germaniam videtur penetraſſe. Neque verò ante hæc tempora fortaſſis id quod

à Gra-

à Gratiano confectum eſt Decretum pedem huc attulerat. Etſi enim illud jam anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo primo fuerit editum, mox Eugenii Papæ juſſu in ſcholas receptum tantos ſtatim progreſſus fecerit, ut jam tum Friderico I Cæſare doctores decretiſtæ appellati in foris Italicis cauſas egerint, ceu liquet ex iis quæ narrat Arnoldus Lubecenſis *L. III. Chron. Selavor. cap. X:* in Germania tamen fortè auctoritatem non invenit tam brevi temporis ſpacio. Erat nimirum tum Germania longis illis in Palæſtinam expeditionibus & bellis Italicis pariter ac civilibus occupata: & clerus magnam partem rudis ſacris ſtudiis & canonum doctrinæ minimè omnium vacabat. Neq; ullo Pontificum aut Cæſarum juſſu illud Decretum vim legum acceperat: ut nec hodie fortè accepit. Benè ſcilicet *præfat. in canon. pœnitential.* Antonius Auguſtinus: *Video multos iuris ſtudioſos vehementer decipi, qui Gratiani collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant. Cum tamen Gregorius nonus Pontificia auctoritate uſus, omnibus in eo volumine Decretalium contentis vim legis ſtatuerit, Gratianus unius magiſtri, & monachi perſonam gerens, ea, quæ refert, non maiori pollere potuit efficere auctoritate, quàm antea fuerunt. Itaque ſi quæ ſunt ab eodem relata ex Pontificiis epiſtolis, aut ex conciliis generalibus ſumpta, ea ſuprema illa poteſtate, quæ excellunt, apud omnes vim legis obtinent: at quæ ex provincialib. conciliis, aut ex Epiſcoporum, aut aliorum ſanctorum virorum libris, aut epiſtolis accepta ſunt, ea generalem non habent auctoritatem. Accidit autem ſæpe, ut falſæ ſint apud Gratianum inſcriptiones ſingulorum capitum.* In eandem ſententiam Paulus Laymannus: *Quum opus ſivè totum complexum Gratiani à nullo hactenus Pontifice ſit confirmatum,*

*ſicut*

*ſicut notavit Iohannes Maior, Rodriquez, Caniſius & Suarez: ideo non omnes canones ſivè capitula Decreti, Pontificiĳ vel Eccleſiaſtici iuris auctoritatem habere credendum eſt.* Nec aliter Martinus Delrio *diſq. Mag. l.* v. *sect* XVI. *Communis & indubitata eſt ſententia, etſi Gratiani Decretum à ſede Apoſtolica ſit receptum, ita tamen receptum eſſe ut fides dictorum ſit penes authorem, & tanta ſit eorum canonum, quos in medio producit authoritas, quanta eſt fontium, unde illa manarunt. Nec enim quiſquam eorum qui ius Eccleſiaſticum vel à liminé ſalutavit, ignorare poteſt, multa in Decreto haberi, quæ poſtea ù Decretalibus, Sexto, Clementinis & Extravagantib. abrogata fuerunt, nonnullaq; à Gratiano per errorem inſerta eſſe, quæ cum veritate pugnare deprehenduntur.* Ita illi. At quum nemo fuerit qui Germanos ad Decretũ iſtud aſtringeret, ſaltim primis quinquaginta annis in populo bellicoſo & literarum ſtudiis minus dedito nullo in pretio fuit. Verùm poſtquam Gregorius nonus anno poſt milleſimum ducenteſimum triceſimo circiter Decretales ſuas edidiſſet, eaſque ubivis mandaſſet obſervari, quæ tunc temporis erat Paparum auctoritas, indubiè Pontificii juris uſus ſtatim etiam in Germaniâ cœpit. Vt minus dubitemus facit Ioannes Semeca, à patria Teutonicus Italis vulgò dictus, Halberſtadienſis Præpoſitus, qui omnium primus in Decretum gloſſas confecit mortuus anno ſeculi illius quadrageſimo quinto. Hic enim eſt ille, qui in verſiculis tumulo inſcriptis audit:

*Lux Decretorum, dux doctorum, via morum.*

Ejus verò induſtriam alii quoque Germani tum ſecuti ſunt: ut Pontificii Iuris interpretes diu ante Germania dederit quàm Romani. Neque verò eſt quod miremur Germanos homines in recens illud ſtudium confeſtim

incubuiſſe, quoniam conſtat ne à Danis quidem jam tùm id neglectum. Diſertè id teſtatur Arnoldus id temporis Lubecenſis Abbas *l. III. Chron. Slavor. cap. V.* Verba ejus ſunt. *Scientia quoq; liberali non parum profecerunt: quia nobiliores terræ filios ſuos non ſolùm ad clerum promovendum, verùm etiam ſecularibus rebus inſtituendos Pariſios mittunt. Vbi litteratura & idiomate lingua terræ illius imbuti, non ſolùm in artibus, ſed etiam in Theologia multum invaluerunt. Siquidem propter naturalem linguæ celeritatem non ſolùm in argumentis Dialecticis ſubtiles inveniuntur, ſed etiam in negotiis Eccleſiaſticis tractandis boni Decretiſtæ ſive Legiſtæ comprobantur.* Indubie igitur jam tùm in Germaniâ non minus ac Daniâ quoque Pontificii illius juris auctoritas atque uſus invaluit. Et verò publico Ordinum Imperii Germanici decreto ita cautum videtur, Friderico II. Cæſare, anno ſeculi tertii decimi ſexto poſt triceſimum. Verba conſtitutionis Germanica lingua promulgatæ atque à Goldaſto parte alterâ Reichsſatzungen/ editæ hæc ſunt cap. xv. Wir gebieten auch veſtiglich das man in allem Römiſchen Reich an geiſtlichen Dingen nach Gebot und nach Raht der Ertzbiſchoffe ſich habe/ und welcher Biſchoff oder Ertzprieſter nach geiſtlichen Recht richte. Man ſol auch die weltlichen Gerichte an ihrem Rechte behalten. Eadem verba habentur in conſtitutione Rudolphi I. quam Chronici Spirenſis libro v. cap. cix. inſeruit Chriſtophorus Lehmannus. Neque verò jus Eccleſiaſticum videtur aliud intelligi quàm illud novum Pontificium. Non ſatis patet autem quid ſibi velint illa: Man ſol auch die weltlichen Gerichte an ihrem Rechte behalten. An fortè hoc volunt? Iudiciorum quoque civilium proceſſus juxta Pontificium jus inſtituendos

eſſe? Sanè jam ex eo uſque tempore judiciorum ratio à priſca ſimplicitate & brevitate nonnihil deflexit. Auctor Speculi Suevici ſub finem fortè decimi tertii ſeculi conſcripti l. 1. c. v: Uß den zweyen Büchern (Decret vnd Decretal) nimt man all die Recht der geiſtlichen vnd weltlichen Gericht bedarff. Quæ in eandem ſententiam fortè ſunt accipienda.

Etſi verò extra controverſiam fuerit penè ſacroſancta Pontificii juris apud plæroſque auctoritas, permulti tamen priſcas conſuetudines ſuas videntur prætuliſſe. Diſertè Epko Repkovius auctor Speculi Saxonici l. 1. art. 111: *In ſeptimo gradu terminatur cognatio in percipiendis hæreditatibus, licet in quinto gradu Apoſtolicus matrimonia contrahere conceſſit: qui tamen nullam Decretalem in noſtri Iuris feudalis & civilis poteſt condere præiudicium.* Quam ſententiam fruſtra Gloſſator interpretatione ſua conatur torquere, eoque tanquam Pontificiæ majeſtati adverſam cum aliis nonnullis Speculi illius Saxonici aſſertionibus anathematis fulmine percuſſit Gregorius nonus. Notum quoque eſt cùm Friderico ſecundo tùm inprimis Ludovico Bavaro imperantibus Pontificiæ auctoritatis opinionem multum in Germaniâ defeciſſe: tempore Concilii Conſtantienſis & Baſilienſis à proceribus Germaniæ Paparum conatibus apertè etiam eſt contraitum, & Friderico tertio Cæſare cum Nicolao V Papâ in novas leges tranſactum. A Principibus & Vrbibus Germanicis multa ſanè ſunt jam olim condita ſtatuta Pontificio illi juri repugnantia. Quæ tollere in Pontificum gratiam Carolus IV per conſtitutionem quandam conatus quidem eſt, non potuit tamen. Exſtat & Martini V. Papæ bulla in ipſo Con-

ſtantienſi concilio anno M CCC XVII edita, quâ graviter de Germaniæ ordinum illis ſtatutis (recenſet autem illorum ſatis multa) conqueritur. Verùm nec ille quidquam effecit. Neque verò illa cleri aliorumque perpetua penè diſſidia non arguunt juris Pontificii contemptum: legibus ſcilicet iſtis clero eam immunitatem libertatem & honorem tribuentibus, quæ ne largirentur alii ſua intereſſe exiſtimabant.

Itaque utut ſancta nunquam non fuerit auctoritas juris Pontificii per omnem Germaniam, uſque ad avorum memoriam, & cumprimis illud valuerit poſt inſtitutas ſcholas Academicas, adeoque poſt annum M CCCC, attamen omni ex parte illud nunquam obtinuit. Indubiè vero etiam ſic magnam Germanicis rebus mutationem attulit: quippe quod multum receſſit ab antiquis Eccleſiaſticis legibus, uſq; ad illud tertiumdecimum ſeculum uſitatis, ac Pontificis dominatum clerique dignitatem in immenſum extulit, novum & longum judiciorum ordinem, comperendinationum & procraſtinationum uberem campum pro ſimplice majorum formula obtruſit, multitudine varietate & obſcuritate legum & clero & aliis crucem quaſi fixit, ſuperſtitioſos hominum animos in rempublicam armavit, clerum ac populum perpetuò colliſit, denique litibus Germaniam replevit & emunxit argento. Certè plus longè mali ab illo jure enatum quàm boni.

## CAPUT XXVII.

*Cur à ſeculo decimo tertio frequentiùs leges Germanicæ ſcribi cœperint. De conſtitutionibus Cæſareis ad ævum Maximiliani primi.*

Igitur

IGitur in hunc modum jam tum tertio decimo ſeculo operoſo quodam jure canonico ſcripto uti cœpit Germania noſtra. Ex eodem verò tempore uſque & civilia jura, publica, privata majore quàm hactenus ſtudio conſcripta ſunt. Etſi enim plurima ſcripta nō ſint ſivè de induſtriâ, ſive ex negligentiâ, ut fieri ſolet: attamen & provinciarum quarumdam receptæ conſuetudines à nonnullis in literas ſunt redactæ, & cum ferendarum legum ſtatutorumque condendorum poteſtas eſſet penes regni comitia, proceres ſingulos, urbes plurimas, collegia plæraque, quod alibi docetur, pene quicquid novi latum eſt literis quoque eſt commiſſum. Cujus rei ego cauſam haud aliam crediderim quam quod in univerſum ſcribendi uſus & quidem Germanicè ſcribendi apud majores cœperit frequentior eſſe. Eâ nimirum tempeſtate plebis res per commercia & fœdera effloruerunt, & patria lingua magis magiſque exculta eſt, ideoque & ſcholæ ſcientiarum ſtudiis inſtitutæ ſunt majore quàm hactenus numerò. Neque verò commercia ritè exerceri ſine ſcriptione poſſunt & vernaculæ linguæ cultu, neq; ſcriptio addiſci citra ſcholas. Igitur ſcribendi uſu jam frequentiore, non eſt mirum leges quoque novas in memoriæ ſubſidium conſcribi cœptas.

Cæterùm publicarum Imperii conſtitutionum quæ uſque ad Maximiliani I. tempora promulgatæ, pauciſſimæ hactenus typis ſunt editæ. Latent autem indubiè cum alibi tum in Moguntinis regni tabulariis. Scilicet typographiæ arte nondum inventâ Imperii decreta tantùm ad paucos potuerunt pervenire, & magis magiſque indies collabeſcente Cæſarum auctoritate & republicâ

partes abeunte, parum roboris conſtitutionibus illis ſuperfuit, adeoq; à pauciſſimis data opera eſt illis comparandis aut cognoſcendis. Igitur vulgò pene unius Caroli IV. Aureæ quam vocant bullæ, quâ de Cæſarum electione accuratius cautum eſt, ex tanto ævi ſpacio memoria & uſus aliquis remanſit: & in vulgari Codice conſtitutionum Imperii noviſſimarum paucæ tantum Friderici III præmittuntur. Sat multas tamen alias conſtitutiones à Friderico II uſque ad Fridericum III latas nobis edidit Melchior Goldaſtus, partim Latinè, partim Germanicè, vir monumentis Imperii publicatis æternam laudem commeritus: nec tamen dubium eſt, plurimas adhuc in archivis detineri, vel etiam per incuriam fortè intercidiſſe.

De quibus omnibus etſi ſigillatim agere non ſit inſtituti mei: unum tamen & alterum non poſſum prætererire. Gotfridus monachus ad annum M CC XXXVI. ſcribit: *Curia celeberrima in Aſſumptione B. Mariæ apud Moguntiam indicitur, ubi ferè omnibus Principibus regnî Teutonici convenientibus pax iuratur, vetera iura ſtabiliuntur, nova ſtatuuntur & Teutonico ſermone in membranâ ſcripta omnibus publicantur.* Hinc verò diſcere eſt ſtabilita tum recepta hactenus jura, & novam conſtitutionem Germanicâ linguâ promulgatam. Habetur illa apud Goldaſtum tomo II. Reichsſatzungen pag. XVII hoc titulo: Kayſer Friederichs des Anderen Recht geſetzet vnd beſtätiget mit der Fürſten Rähte vnd mit anderen groſſen Herrn vnd Weiſen / zu dem groſſen Hove zu Mauganze / vnd geſchahe nach vnſers HErrn Chriſti Geburt 1236 Jahre zu S. Marien im dritten Auguſti. Videtur autem hæc eſſe omnium prima Imperii conſtitutionum quæ vernacula lingua ſit conſcripta.

ſcripta. Certe ante hanc, quod ſciam, nulla memoratur. Vnde lucem accipit id quod antè diximus, hac tempeſtate Germanicè ſcribendi uſum invaluiſſe. Quò pertinet quod Aventinus notavit *l. VII. Annalium Boicor.* de Rudolpho I. Cæſare Auſtriaco. *Statuit ut poſthac, ob inſcitiam nobilitatis, Principum & Pontificum edicta, privilegia, in Teutonum linguâ ederentur, quæ hactenus Romano ſermone data ſunt.* Eſt autem idem & Martino Cruſio annotatum *Annal. Suevicor.* l. III. p. III. cap. I. *De hoc negocio ſic lego: Rudolphum juſſiſſe, ne amplius literas contractuum Notarii Latinè ſcriberent ſed Germanicè. Multos enim ſimpliciores plebis antea Latinâ ſcriptione deceptos fuiſſe.* Verùm illa Rudolphi conſtitutio hactenus typis non eſt edita; nec omni ex parte obſervata, diu poſt Romanâ linguâ plurimis paſſim tabulis conſcriptis. Veriſſimum enim eſt quod avorum memoria Beatus Rhenanus *Rer. Germanicar. lib. II.* ſcripſit: *Tantùm Latini ſermonis uſus apud Germanos in conficiendis tabulis receptus fuit, id quod cum cæteris nationibus commune habuimus. Ab annis tamen centum & quinquaginta ſecus apud nos factum videmus. Sic Vngaricus ſermo noſtrâ ætate primùm ſcribi cœpit.* Quæ tamen Rhenani verba minimè ita accipienda, quaſi ante annum præter propter M CCC L. nullæ tabulæ Germanicè ſint exaratæ, ſed illo circiter tempore Latini ſermonis uſum in tabulis conſcribendis prorſus exoleviſſe. Secus quàm in ipſa Gallia eſt factum, ubi demum anno M D XXXIIX edicta Gallicè concipi cœpta, notante Dionyſio Petavio. Quicquid verò hujus ſit, ſuperat hodieq; Rudolphi I. Cæſaris Germanica quædam conſtitutio anno M CC XCI promulgata, & *l. V. Chronici Spirenſis cap. CVIII.* à Chriſtophoro Lehmanno inſerta. Illius verba quædam etiam

hic

hîc merentur recitari, Wir ſetzen vnd gebieten bi vnſern Hulden/ daß alle vnſer Fürſten/ vnd alle die Gerichte von vns habent/ recht richten/ als des landes Sit vnd Gewonheit iſt/ vnd daſſelbe gebieten den die Gericht von jhn hant. Swer des nicht entut/ vber den wollen wir richten ſcharpfflich/ als recht iſt/ vnd ſwas vns vber jhn ertheilt wird / das wollen wir nicht laſſen / noch nimmer vberſehen / noch niemandes ſchonen. Vnd gebieten auch vnſern Fürſten / daß ſi mit der Buſſe zwingen die/ die von jhn Gerichte haben / daß ſie recht richten/ vnd der Buſſe nicht entlaſſen die jhn ertheilt wird. Wir ſetzen vnd gebieten/ daß kein Richter jeman zu Achte thue wan offentlich/ vnd daß der Richter jeman uß der Achte laſſe/ er nehme die Gewißheit daß dem Cläger gerichtet werde nach des Landes Gewonheit. Thut es der Richter nicht/ ſo ſollen wir vber jhn richten als recht iſt. Obſcuriora quidem hæc nonnihil ſunt præ loquendi priſco uſu immutato: conveniunt tamen cum capitulo VI & VII conſtitutionis Germanicæ Friderici II, & ſatis clarè docent viſum illa ætate omni Germaniæ, ut jus diceretur tantùm ſecundũ leges & conſuetudines cuivis loco proprias, neminem verò ad Romana aut alia jura fuiſſe adſtrictũ. Ex eadẽ porro Rudolphi conſtitutione diſcere eſt circa hæc tempora cœptum ſcriptis agi in foro. Id ſane in foro Cæſareo eſt conſtitutũ. Wir gebietẽ och/ daß man alle Fürgebot mit Brieffen tu/ vnd Brieve darüber gebe/ wie man von Gerichte ſcheide/ vmbe das/ daß man mit dem Brieve vnter deß Hofrichters Inſigel bereden müge/ daß Fürgebott vnnd das Ziel/ vnd die Tage die vor Gerichte genommen ſint.

Cæterum omnium totius illius temporis conſtitutionum clariſſima quam Carolus IV Cæſar promulgavit in comitijs Noribergenſibus anno MCCC LVI & vulgò

Aur-

*Aureæ bullæ* nomine uſurpatur, de electione Cæſarum & Electorum dignitate potiſſimùm agens. Reliquarum ſcilicet omnium memoria penè obliteratâ, hæc ſemper hucuſq; magna in veneratione eſt habita, propter inſignem uſum, ideoque & ipſum autographum ejus ſanctè ſervatur Francofurti ad Mænum loco electioni Cæſarum dicato. Nec tamen hodieque omnia illius conſtitutionis obſervantur, ſed multa ætas & in alia prorſus vergens conſuetudo antiquavit.

Debebat autem meritò haud minore in pretio eſſe illa quam Ludovicus Bavarus anno M CCC XXXVIII Francofurti promulgavit de Iurisdictione Cæſaris & Papæ, quâ profecto illi tempeſtati nihil fuit utilius. Verùm illa forſam tota periiſſet, niſi eam Albericus de Roſate *l. 3. cod. de quadriennÿ præſcript.* Huld. Mutius *l. XXIV. Germanic. rer.* Hieron. Balbus *l. de coronat. ad Carolum. V.* aliique nobis ſervaſſent. Quod indubiè factum partim propter ſubſequentem Caroli IVti & Electorum Principumq; nonnullorum à Ludovico defectionem, partim ob ſuperſtitioſum Papalis nominis ea tempeſtate apud plurimos receptum cultum. Etſi enim tùm temporis concionibus Franciſcanorum quorundam monachorum, aliorumq; præclaris pro aûctoritate Cæſareâ ſcriptis libris (quos inter excellunt Guilielmi Occami, Marſilii Patavini, Ioannis de Iandûno) haud exiguam jacturam opinio Pontificiæ in ſecularibus, quæ vocant, majeſtatis ſit paſſa, multi tamen ſatis pro Pontifice depugnarunt, toto ordine Prædicatorum monachorum Pontificis partes ſtrenuè defendente, & clero magnam partem aulæ Pontificiæ obnoxio.

# CAPVT XXIIX.

## *De ſtatutis Vrbium ſcriptis: inprimis jure Lubecenſi, & proceſſu Vrbium forenſi uſq; ad ſeculum decimum quintum uſitato.*

POrrò ſingulis Principibus legum ferendarum ut olim ita & ab illo uſque ſeculo decimo tertio fuiſſe poteſtatem, nullum dubium habet. Quis verò etiam dubitet quas interea temporis conſtitutiones promulgârunt literis eſſe traditas in illo jam vulgari ſcribendi uſu? Et tamen earum conſtitutionum hactenus penè nihil eſt typis publicatum: ſive longo tempore perierint, ſive poſteris indignum viſum edere illa antiqua & nullius amplius uſus.

Eandē penè fortunā experta ſunt Vrbium liberiorum ſtatuta, quę itidem ferendarū legum poteſtate impetrata & opibus viribuſq; potentes ſingulæ quæ in rem ſuā facere viſa ſunt condiderunt. Cœpit autem & hoc inſtitutum circa ſeculū tertium decimum. Inter Vrbium autem leges nonnullæ præ aliis olim eminuerunt, ad quarum exempla multæ compoſitæ ſunt: Colonienſes nimirum, Aquiſgranenſes, Lubecenſes, Magdeburgenſes. Colonienſium ita meminit jam olim auctor Iuris Magdeburgici art. 1: *Ius civile ſeu municipale eſt, quod homines unius civitatis ſeu fori concluſerunt inter ſe tenentes, iuxta eorum arbitrium & antiquas conſuetudines: quemadmodum Colonienſes circa Rhenum Ius Caroli confirmatum habent.* Fabuloſum quidem eſt indubiè illud de Carolo: patet tamen jam illo tempore quo ſcriptor ille vixit, clari cumprimis in Germania nominis fuiſſe jus Colonienſium. Eodem

verò in cenſu habet Gloſſa articuli illius Polonica Ius Aquisgranenſium, quaſi nempè & illud à Carolo Imperatore ſit profectum. Eſt quidem & hoc fortè fabuloſum. Vt Colonienſe tamen ita & Aquiſgranenſe jam tum inſigni in pretio fuiſſe manifeſtum hinc eſt.

Friderici Barbaroſſæ ætate primùm ad mare Balthicum florere cœpit Saxonibus incolis Lubeca, ita ut mox caput ſuper omnes Saxonicas extolleret, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* An jam tum ſtatim legibus ſcriptis fuerit uſa, dubito. Obſcurum tamen quid huc fortè faciens habet de urbe illa Arnoldus Abbas *l. II. chronici Sclavor. cap. XL.* quo loco narrat, quibus conditionibus Cæſari urbs illa circa annum M C LXXX dedita ſit. *Priusquam ei civitatem aperuiſſent, exierunt ad eum, rogantes ut libertatem civitatis, quam à Duce prius traditam habuerant, obtinerent, & iuſtitias quas in privilegiis ſcriptis habebant, ſecundum iura Soſatiæ, ipſius auctoritate & munificentiâ poſſiderent.* Haud liquet quæ illa jura ſint *Soſatiæ* & fortaſſis legendum *Holſatiæ.* Cæterùm ſi nondum tunc, paulò pòſt tamen jus Lubecenſe cœpit, quippe quod mox in alias quoque vicinas urbes tranſierit. Exſtant tabulæ Friderici II Cæſaris, ſeculi decimi tertii anno ſecundo poſt triceſimum ſcriptæ, quibus confirmat ab Adolpho Holſato Hamburgenſib⁹ conceſſam libertatem *utendi antiquâ iuſtitiâ Lubecenſium.* Sed fortaſſis illa verba non ad leges pertinent, ſed ad jura quædam paſcuorum aliorumque bonorum, more Lubecenſium poſſidendorum. Neque verò ex verbis tabulæ certò eſt colligere, Hamburgenſes olim Lubecenſium legibus uſos, quod tamen ſcribit Cyriacus Spangenbergius *L. 11. Hiſt. Schaumburg. cap. VII.* Certius eſt, multas vicinas

urbes à Lubeca leges non minus atq; ab Athenis Atticis olim Romam accepiſſe, & hodieque obſervare. Sicut Roſtochium ac Stralſundium in litibus dirimendis Lubecam ſolet provocare.

Hamburgum ſtatutorum condendorum facultatem à Comitibus Holſatiæ ſeriùs impetravit & quidem demum ſeculi decimi tertii nonageſimo ſecundo. Adolphi Comitis verba hæc ſunt: *Concedimus etiam & donamus eiſdem ius tale, quod vulgo* Köhre *dicitur: Statuta mandare, & edicta promulgare ſecundum placitum eorum, pro utilitate & neceſſitate civitatis prædictæ, ac eorundem: & revocare eadẽ, quotieſcunque, & quandocunque ipſis viſum fuerit expedire. Conferimus, nihilominus eiſdem de mera & libera voluntate noſtra, ut iura ſua & ſententiam nusquam alias, id eſt foris civitatem, quam in domo conſulum ipſius civitatis, ſecundum ſcripti libri ipſorum liberũ ius exequantur: tali conditione adjectâ eidem; ne pauperi aut diviti vel alicui ex parte noſtra poſtulanti, qui ſibi autumaverit aut ſuſpicaverit minus iuſte eſſe ſententiatam & iniuriam eſſe irrogatam, ſi petierit ipſius libri copiam nullatenus denegent. Donamus etiam præterea plenam & perfectam Poteſtatem ſuper cauſis emergentibus, de quibus non eſt ſententia in libro prædicto, novum jus creandi & ſtatuendi de communi conſenſu Conſulum & poteſtate, pro ſua voluntate. Ita tamen ut hujusmodi ius ſic de novo creatum libro præfato inſcribatur, & pro perpetuo iure ab ipſis ac ipſorum poſteris teneatur.* Ex quibus verbis confirmatur, jam tum urbium ſtatuta in libros referri ſolere, quod ſupra aſſeruimus.

Id miror equidem cum diu ante Saxonicas urbes floruerit præcipuâ gloriâ Spira Nemetum, à diligentiſſimo & doctiſſimo rerum urbis illius ſcriptore Chriſtoph. Lehmanno nullam ſcriptam legem urbis illius referri, quæ

ſit

ſit lata ante ſeculum quartumdecimum. Vide Chronici lib. II. cap. XVI. XIX. & XX. Proculdubio autem alibi ſunt antiquiora. Sed non eſt meum ſingularum Urbium jura quando & quomodo ſint inſtituta, exponere. Id in univerſum tamen arbitror veriſſimum; nihil ſcripti juris in iis reperiri quod præcedat annum milleſimum ducenteſimum.

Etſi verò interea temporis ſat multæ urbium leges in literas ſint relatæ, indubiè tamen plurimæ ſcripto nullo comprehenſæ ſunt. Id de induſtriâ factum eſſe ſuſpicatur doctiſſimus Lehmannus *l. IV. cap. XXI* & quaſi exemplo Athenienſium, qui obſcuriores leges populo propoſuerint quo Senatus auctoritas ſervaretur. Et ſanè rectè Plutarchus in Solone: *Initio nullius momenti videbatur, tamen permagnum eſſe poſterius apparuit; ita cum magiſtratus legibus diſſolvere litem nequirent, uſu veniebat ut ſemper Senatus operam requirerent, ad eosq́ controverſias deferrent, qui legum domini quodammodo erant.* Neque ego negaverim nonnullibi & in Germanicis urbibus Senatum id egiſſe; quoniam legum peritia ad paucos redacta paucis illis non poteſt non multum auctoritatis præ omnibus aliis conciliare. Crediderim tamen potius id accidiſſe, partim antiquo more quo leges ſcribere inſolitum fuit, partim quod judicatum ſit multis legibus minimè opus eſſe, modò judiciis viri expertæ virtutis & ſenilis judicii præficerentur: quod ut fieret, opera ſanè tûm adhibita maxima eſt. Scilicet multis in urbibus haud leviter laboratum eſt, ne quid legum plebem ipſam temerè lateret: itaque quotannis ſemel, bis, ter, ſæpius, populo omni leges vernacula linguâ prælectæ, etiam deſcribendi eas factâ poteſtate; & judices ex medio

populo conſtituti, ratione tantùm habita majoris prudentiæ & æquitatis, juramenti religione additâ in dubiis *ſe iudicaturos ex animi ſententia, vel optima atq; æquiſſima ſententia uſuros*, quomodo etiam olim apud Athenienſes & Romanos jurari ſolitum.

Operæ pretium fuerit fortaſſis hoc loco meminiſſe proceſſus forenſis, illa tempeſtate quâ in urbibus breve illud & populare jus viguit, obſervati. Nimirum ſupra quidem dictum, jam tum ſeculo decimo tertio unà cum Pontificio jure proceſſum in Decretalibus præſcriptũ in fora Germaniæ alicubi, ſaltim ex parte, introductum eſſe: & verò abunde id patet ex proceſſu legibus Saxonicis & Suevicis laudato, qui profecto haud parùm abeſt à priſca majorum ſimplicitate: in multis tamen urbibus rudis illa ac vetuſtiſſima judiciorum ratio manſit integra. Sufficit idipſum unius Lehmanni teſtimonio probare, quo homine rerum Imperii noſtri dubito num quis peritior fuerit. Is de Spirenſi urbe ita commentatur noſtrate lingua *lib. IV. chron. cap. XXI.* Was den Proceß in Rechtſachen anlanget/ wiewol man vor Gericht vnd Raht in Rechtſachen gar langſamb den Brauch der Protocollen angefangen/ ſo iſt auß denſelben/ ſo faſt vor 200 Jahren beſchrieben/ zu vermercken/ daß von alters ein kurtzer Proceß in allen bürgerlichen Irrungen gehalten / vnd ſchwere Sachen in zweyen oder dreyen Gerichtstagen auffs längſt erledigt worden. Es befindet ſich auß einem Protocol / darin mehr als tauſent Vrtheil eines Rahts / ſampt der Partheyen Clagen vnd allen Handlungen/ ſo vor Gerichten vnd Rhat fürkommen/ nicht allein in Sachen der Burgerſchafft zu Speyr / ſondern auch vieler adelichen Perſonen auffm Land / der benachbarten Stätt/ Flecken/ vnd Dorffſchafften/ ſo Entſcheidt

ſcheide und Urtheil vorm Rhat zu Speyer vielfaltig geſucht/ daß die Partheyen nur mündlich/ und gar nicht in Schrifften/ ihre Sachen entweder ſelbſt/ oder durch eines Rahts verordnete und beaydigte Fürſprechen/ nach geſtalt der Sachen entweder vor Gericht/ ſo ſie dahin gehörig / oder vor Rhat fürgetragen/ der Cläger ſeine Clage kurtz / ohne weitleufftigkeit/ doch zur Notturfft anbracht / der Beklagt darauff ſeine Einrede fürgewendt/ der Cläger hinwider replicirt / und der Beklagt duplicirt / darneben jeder Theil ſein Beweißthumb mit lebendiger Kundſchafft / oder in Schrifften dargethan. Hæc Lehmannus juſto prolixius nonnihil fortè; quæ tamen omnia hîc legi & expendi commerentur.

## CAPVT XXIX.

### De Iure VVeichbildico Magdeburgenſi.

VT de Iure Magdeburgẽſis urbis ſeorſim nonnihil dicamus, meretur ejus olim exiſtimatio & uſus. Etenim inter omnium Germanicarum urbium ſtatuta & conſuetudines prima ſemper fama à Magdeburgenſia fuere. Illa fabulosè referri in Ottones Cæſares ſuprà oſtendimus. Id verò certum, jam ſeculi decimi tertii initio in Pruſſiæ urbes, à milite ordinis Germanici ſubactas, tranſiiſſe. Privilegium ab Hermanno Magiſtro illius ordinis anno M CC XXXIII editum: *Statuimus autem in iisdem civitatibus IVRA MAGDEBVRGENSIA in omnibus ſententiis in perpetuum obſervari: hoc indulto ut cum reus aliquis in ſexaginta ſex ſolidis puniri debeat, hic in triginta ſolidis Culmenſis monetæ mulctetur.* Quod ipſum ne tum quidem mutatum quando Pruſſiæ magnam partem fœdere pacto in ditionem Caſimirus

rex.

rex Poloniæ anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto accepit. Verba fœderis ſunt: *Item cum terra ipſa & hoſtes iſtas terras incolentes variis hactenus legibus ſive iuribus, videlicet Magdeburgenſi, Culmenſi, Polonienſi hereditario & Prutenico in decidendis quibuſvis eorum quæſtionibus & adminiſtratione iuſtitiæ utebantur; quod etiam illis ſub noſtro principatu & regimine volumus firmum eſſe ac perenne.* Auctor Iuris VVeichbildici *art. X. §. 1.* ſcribit, omnes Poloniæ, Bohemiæ, Marchiæ Miſnenſis & Luſacenſis urbes præter Hallas Saxonicas, *iure Magdeburgenſi locatas eſſe.* At nos non multò pòſt capite demonſtrabimus, primùm Leskone nigro rege, circa annum M CC LXXXVI in Poloniæ urbes & inprimis Cracoviam, jus iſtud receptum eſſe. Porrò idem auctor *loc. cit.* dicit ex illis uſq; Poloniæ, Bohemiæ, aliiſque terris appellandum eſſe in controverſiis dubiis Hallas & Magdeburgum. *Magdeburgum*, inquit, *civitas eſt totius provinciæ Saxonum præcipua, capitalis ac ſenior, & civitas Hallenſis ſuper iure illius fundata eſt, ac utraq; uno utitur iure. Ea propter omnes de Poloniâ, Bohemiâ, de Marchia Miſnenſi & Luſacenſi, civitatibuſq; illis ſubiectis, quæ Iure Magdeburgenſi locatæ ſunt, ius ſuum in appellando ex Halla reportare debent. Si verò Hallenſes in ſententiâ deficiant vel invenire ignoraverint, eandem quærere & reportare ex Magdeburgo coguntur.* Et verò ex Poloniâ uſque appellatum eſt Hallas & Magdeburgum, ad Cazimiri II Regis tempora, circà annum M CCC LVI. Matthias Mechovius l. IV. Chronici Polonici cap. XIX: *Conſiderans quoq; rex Kazimirus, pernicioſas in Maydenburg ex regno Poloniæ appellationes, fortunas atque ſubſtantias ſubditorum devorantes, Ius ſupremum theutonicale in caſtro Cracco, anno domini 1356. conſtituit, advocatum per ſolum regem eligendum. Septem*

*ptem vero Scabinos ex certis civitatibus Graccoviæ urbi vicinis, per procuratorẽ generalem Graccoviensem legendos commiſit, & provocationes ad Maydenburg peramplius fieri per patentes literas prohibuit, quarum tenor ſic incipit. In nomine domini amen. Quoniam humana conditio &c.* In eandem ſententiam Nicolaus Iaskierius Polonus in gloſſ. marginalib. ad Ius VVeichbildic. art. XIX.: *Articulus præſens & ſequentes quatuor parùm afferunt utilitatis nobis. Appellatio enim in Hallum vel Magdeburgum ex regno Poloniæ abolita eſt in anno Dom. M CCC LVI per Ducem olim Caſimirum Magnum Poloniæ regem, locatumq́ eſt ius provinciale in caſtro Cracovienſi, ut illuc omnes in appellando recurſum habeant.* Extat conſtitutio ipſa Caſimiri, renovata ab Vladislao anno M CCCCXLI, in codice legum Polonicarum.

Hinc verò haud obſcurè colligere eſt tempus conſcripti juris illius VVeichbildici: quod vulgò exſtat. Non eſſe illud ab Ottone I aut II Cæſare, quod nonnulli fabulantur, jam *cap. XIIX.* oſtenſum eſt. Poſt Ottonem IV ſcriptum eſſe, liquet ex ejus aliquot conſtitutionibus libro paſſim inſertis. Imo recentius eſſe anno Chriſti M CC XC patet, quoniam quo tempore ſcriptum eſt cœperat jàm uſus Magdeburgici juris per Poloniam: ibi autem demum anno M CC LXXXVII invaluit ſi credimus Decio & aliis. Nec tamen fortè ſcriptum eſt jàm abolitâ per Caſimirum regem ex Poloniâ appellatione in Hallam aut Magdeburgum. Itaq; veroſimile fit exaratum iſtum librum circa initia ſeculi quarti decimi præterpropter. Indubiè tamen jam antea literis exaratum jus Magdeburgenſe aliquod in manibus fuit. Neque enim alioquin jam tum anno triceſimo tertio ſeculi decimi tertii, vel anno octuageſimo ſexto potuiſſet com-

modè in Pruſſiæ & Poloniæ vrbes commigrare. Ante verò hunc librum conſcriptum in Poloniam, Bohemiam, Luſatiam & Miſniam Magdeburgenſe jus jam tranſiiſſe, diſerte etiam teſtatur ipſemet autor hujus libelli, ſcribens earum provinciarum urbes jam tùm *Iure Magdeburgenſi locatas eſſe*.

Veroſimile verò eſt ipſum illud juridicum collegium quod Magdeburgi & Hallis præcipuè ad patrum memoriam uſque valde floruit, non multò ante quartum decimum ſeculum inſtitutum eſſe. Neque verò illud ab Ottone Magno aut Ruffo eſſe (quod tamen ab auctore libelli illius VVeichbildici aſſeritur & vulgò creditur,) ullo fide digno teſtimonio vetuſtiore probare eſt. Nec is eſt auctor libelli cui hiſtoriæ veteris tutò quidquam credas. Et verò illo cumprimis tempore perfamiliare fuit Germaniæ fabulas fingere vel fictas admittere: ceu liquet de legibus quæ in Conſtantinum & Carolum & Ottonem Magnos relatæ vulgò ſunt, de inſtitutis ab Ottone tertio ſeptem Imperii electoribus, de Rulandinis coloſſis juſſu Caroli Magni in ſymbolũ libertatis erectis, & ſimilibus aliis, tùm primùm credi vulgo cœptis.

Pudet recitare hîc quæ auctor gloſſæ VVeichbildici juris narrat ad articul. x. nec tamen fortè licet præterire. *Imperator tandem ibidem circa Albim fluvium, Ducatum fundavit Schartavv cognomine: ſed & civitatem Magdeburgum ibidem locavit, communiq́ privilegio Iuris Municipalis de conſenſu totius provinciæ dotavit. Filius eius tandem Otto Ruffus privilegium Iuſque Municipale, per patrem eius Ottonem Magnum civitati conceſſum, auctoritate Imperiali confirmavit, nonnulla etiam juxta eorum plebiſcita, ac de conſilio prudentium illius provinciæ, ex jure Provinciali, quod Speculum Saxonum vocatur, extrahendo addidit. Quin*

*immo illa, quæ in Speculo Saxonum obſcurè habebantur, hic clarius enodavit. Huicque operi ac provinciæ præfecerat ſequeſtratorem ſacri ſui Palatii Burchardum de Manphelt* ( alij rectius habent, *Mangelfeld*) *Profeſſorem ſacræ Theologiæ, ac utriuſque Iuris Doctorem. Is etiam ex mandato Imperatoris, in Ius Provinciale, ſeu Speculum Saxonum Commentarium fecit, legibusq; & canonibus adornavit, idq; in conclavi ſedendo facere coactus. Præſens etiam privilegium, ut ſupra tactum eſt, congeſtum gloſſis & interpretationibus lucidius declaravit. Sed & proceſſum Iuris* ( Richtſteig ) *compilavit, quem tandem Gerko de Kertavv conſummatius peregit. Ecko vero de Repkavv Speculum Saxonum Latinis literis illuminavit, ad inſtantiamq́; Comitus Henrici de Phalckenſtein in Germanicum traduxit. Corpusq; ut ſic, Iuris Magdeburgenſis congeſtum, reviſum, diligenterque interpretatum, per Imperatorem Ottonem confirmatum fuit. Sed & per ſucceſſores eius illæſe cuſtodiebantur, ac quædam ſuperaddebantur pro commodo & utili civitatis Maydeburgenſis. Privilegium etiam, quod Otto Ruffus civibus de Maydeburg, ac provinciæ, quin immo & aliis civitatibus ſuper Iure Maydeburgenſi fundatis, & qui ius à Maydeburgenſibus reportant, largitus eſt, hic ſubinferre conſulto videbatur.* Hæc Gloſſa; quibus profectò nihil eſt fabuloſius. Vt enim nunc conceſſerim illa de Ducatu Schartovienſe per Ottonem Magnum & Iure municipali per Ottonem Ruffum conſtituto; quàm anile eſt commentum ex Speculo Saxonici Iuris per Ottonem Ruffum quidquam in Ius illud municipale eſſe translatū & quidem per aliquem utriuſque juris Doctorem: cum Speculum illud ſeculo decimo tertio ſit editū nec ante ullus, vel in Italia, utriuſque juris doctor viſus ſit. Adde auctorem gloſſæ Speculi vixiſſe ſeculo decimoquarto, ut infrà oſtendemus, & tamen hic nugator

coævum illum fecit Ottoni Ruffo. Enimverò multæ ſunt fabulæ in ipſo Iure VVeichbildico & Saxonico, plures in Gloſſa Speculi; at nullibi putidiora mendacia reperias quàm in Gloſsâ illa VVeichbildica. Vt illis libris in hiſtoria veteri quid credere, ſit putidiſſimis fabulis fidem adhibere. Verùm de his ſatis.

## CAPVT XXX.

### *De Speculo Iuris Saxonici & Suevici, necnon Codice Iuris feudalis Saxonici ac Suevici.*

POſt annum milleſimum ducenteſimum conſcriptum quoq; eſt Speculū, quod appellant Saxonici & Suevici Iuris, ut & jus item feudale Saxonicum Suevicumq;, ſecus quàm vulgo perſvaſum eſt. Enimverò vulgo quidem jam penè trecentos annos creditum eſt Saxonicum illud Speculum à Caroli Magni uſque ævo eſſe. Id enim paſſim Gloſſator docet: unde in plebem ſerpſit ſententia. Hinc Cranzius Saxoniæ l. II. c. XXI. *In commemoratione rerum à Carolo geſtarum præterire non debemus, quod gens noſtra de illo inflatis prædicat buccis, dediſſe illum Leges Saxonibus, quæ in codice quod Speculum vocant, extent recollectæ.* Ipſe Baldus conſilio CLXXIV: *Saxones conſuetudinem habent & ſtatutum Imperiale Caroli Magni, quod nullus poſſit alienare bona extra iudicium domini.* Cæterùm hanc vanam fabulam jam ſuprà exploſimus. Neque verò auctor libri hac parte imponere nobis voluit: Carolinorum enim temporum ſemper meminit ut diu præteritorum. Diſertè etiam ſic loquitur l. III. art. LXXIII. *Iſtud etiam ius habebant miniſteriales uſq; ad tempora VVichmanni Archiepiſcopi Magdeburgenſis.* Item: *A prædicti autem Archiepiſcopi temporibus hoc ius eſt frequentatum.* Atqui conſtat VVichmannum illum à Friderico Barbaroſſa conſtitutum Archie-

chiepiſcopū ex Epiſcopo Citicenſi circa annum M CLIII. Quâ de re legendus Otto Friſingenſis *l. II. de geſt. Friderici c. VI.* Non diſſimulat verò auctor Speculi ætatem ſuam illo tempore inferiorem eſſe. Idem *l. III. art. LVII.* Regem Bohemiæ memorat: hic verò regius titulus à Friderico itidem eſt demum Ladeslao Duci collatus anno M C LXIIX: quod à Friſingenſi proditur *l. III. c. XIII.* Porrò idem auctor *l. I. art. III.* ſcribit: *In ſeptimo gradu terminatur cognatio in percipiendis hereditatibus: licet in quinto gradu Apoſtolicus matrimonium contrahere conceſſit.* Apoſtolicus hic eſt Innocentius tertius, cujus decretalis habetur *l. IV. tit. XIV. de conſanguin. & affin. Cap. non debet.* lata in concilio generali anno ſeculi tertii decimi decimo quinto. Itaque Speculum illud ſaltim illo anno, ſi non anno triceſimo ejuſdem ſeculi, quo circiter Gregorius Papa opus Decretalium edidit, eſt recentius. Nec tamen multò eſt recentius. Namq; *lib. III. cap. LXII* enumerantur feuda vexillaria quæ vocant Saxoniæ, nullâ mentione facta Ducum Brunſuicenſiū & Luneburgenſiū. Ille autē Ducatus eſt à Friderico II inſtitutus anno triceſimo quinto.

Itaque circa confinia ſeculi duodecimi & decimi tertii vixerit auctor operis, neceſſum eſt: ipſumque opus intra primos quinquaginta annos demum eſt confectum. Paulùm diverſa ſunt quæ Spangenbergius chronico Saxoniæ ad annum M CC XIII narrat: illo ſcilicet anno Fridericum II Cæſarem in comitiis Merſburgenſibus jus feudale tuliſſe, ac Speculum Saxonum additis novis conſtitutionibus locupletaſſe. Verum illo quidem anno Speculum illud nondum fuiſſe exaratum jam demonſtravimus. Fortè tamen latæ ſunt tum leges illæ, quæ libro tertio ab articulo LXXXVII uſque ad

finem Friderico Cæſari adſcribuntur, quaſi nempe omnia alia ſint à Carolo Magno profecta.

Vt minus de auctore ipſo operis dubitemus, ipſemet præfatione Germanicæ verſionis effecit. Ita enim canit rudibus verſiculis:

Nun dancket all gemein /
Dem von Falckenſtein /
Der da iſt Graff Hojer genant /
Das an deutſch iſt gewant /
Diß Buch durch ſein bitte /
Ecke von Repkaw es thete.

Aliis dicitur Epko: nonnullis etiam Eccardus audit, crediturque is eſſe *fidus Eckardus* qui in proverbium apud Germanos abiit. Videtur autem à vicino pago *Repke* cognominatus. Neq; verò dubium eſt, hominem Saxonem fuiſſe, & quidem in hac vicinia natum. Goldaſtus exiſtimat fuiſſe judicii Cæſarei in Saxonia aſſeſſorem: ſed mera eſt & teſte carens conjectura. Patet verò jam tùm ex modò recitatis verſiculis, Speculum illud ab auctore primùm Latinè editum, inde rogatu Hojeri Comitis Falckenſteinii Germanicè verſum. Et verò utraque editio hodieque ſupereſt, ſoletq; in exemplaribus typo publicatis conjungi.

Quamvis verò auctor ille profiteatur ſeſe tradere leges à Conſtantino & Carolo Magno Saxoniæ præſcriptas, nemo tamen non videt quàm id ſit à vero alienum. Neque enim Conſtantinus Saxoniæ imperavit: nec temerè in hoc codice quidquam reperire eſt quod ſigillatim ab illo ſit profectum: niſi huc trahas illud *lib. III. art. LXIII. Conſtantinum Imperatorem Sylveſtro Apoſtolico & per eum Eccleſiæ mulctam ſexaginta ſolidorum conceſſiſſe*

tempo-

*temporali*; quæ fabula pars eſt fabuloſæ donationis Conſtantini, quâ iſthac tempeſtate totum penè orbem curia Pontificia dementaverat. Nec quæ hoc libro continentur ea ſunt Saxonum jura, quæ Carolus Magnus in literas fecit referri: quod ſuprà jam oſtendimus. Quin ipſe Epko haud diffitetur ſeſe primum illa Latinè collegiſſe, nullius alterius ope aut doctrina adjutum.

Da ers in Latein hatte bracht
Ohn Hülff vnd ohn Lehre.

Verùm illi ætati receptum fuit, nihil non legum & conſvetudinum, quorum initia latebant, in Conſtantinum & Carolum auctores referre. Et verò Epko tantùm populares conſuetudines & de jure ſententias hactenus non ſcriptas complexus eſt, magno ſanè ſtudio, tamen iudicio, quantum apparet, non ſemper æquè exacto. Ipſe in procemio Germanico.

Dieſes Recht hab ich ſelber nicht erdacht/
Es habens von alters auff vns bracht
Vnſer gute Vorfahren/
Nach ich auch ich wils bewahren/
Das mein Schatz vnter die Erde/
Mit mir nicht begraben werde.

Multas verò ineptas ſententias, tum primùm natas, pro antiquis legibus in codice illo obtrudi, haud difficile probatu eſt, ſaltim ſi attendere velimus ad ea quæ de republicâ diſſeruntur. Cujus generis eſt illud quod ſtatim articulo primo libri primi legitur; *Apoſtolico ſuper equum candidum equitare conſtitutum eſt, & in aſcenſu ejus à Principe ſella, ne decidat, tenebitur.* Ne alia nunc in exemplum adducamus.

Neque vero hic codex auctoritate publica promul-

mulgatus eſt. Nullibi enim id legas. Proœmium quoq; verſionis Germanicæ nihil ejuſmodi præ ſe fert. Quin haud diſſimulat auctor, Latinæ editionis ergò multis ſe eſſe calumniis obnoxium: alios quoque conſulendos, imò præferendos nonnunquam, ſtatuit, ſi de æquitate harum ſententiarum dubitetur.

Wer in dieſem Buche/
Fragrede ſuchet/
Ob jhm daran ichts mißhage/
Des thu er zu hand keine klage/
Vnd wege die Sache in ſeinem Sinne/
Nach dem End vnd Anbeginne.
Vnd erfrage ſich an weiſen Leuten/
Die die Warheit können deuten/
Vnd haben auch die Sitte/
Daß ſie gerecht ſeyn darmitte.
Ob er an jhme denne/
Das recht erfahren könne/
Ich rate jhn daß alſobalde/
Daß er ſich daran ſol halden.
Denn das viel weiſer Leute lehren/
Die es an gut kehren/
Iſt beſſer den mein eines ſey.
Ein ander merckt aber darbey/
Das keines Mannes Mund/
Was darnach ſtund/
Wie er die Leut gemein/
Beyde groß vnd klein/
Rechtes bericht zu kunde.
Das thut der Mund mein/
Des gebe ich zu vhrkund dis Büchlein.

Vide-

Videtur tamen ab initio ſtatim mirè opus illud populo placuiſſe. Itaque uni calumniatori audet auctor mille laudatores opponere,

Doch das tröſtet meinen Muht /
Was einem daran wirret /
Das es wol tauſent dünckt gut /
Alſo bleib ich ungeirret.

Ne ſequentibus quidem temporibus ullâ Cæſarum auctoritate diſertè hic codex eſt confirmatus. Nec tamen valde mirum in multa Saxoniæ aliarumque provinciarum fora tranſiiſſe opus, nulla licet publica auctoritas acceſſerit. Scilicet, recepto hactenus more, ſecundũ conſuetudinem & ex æquo ac bono ſententiæ tùm ferebantur: quorum magnam partem hoc codice contineri perſuaſum fuit. Itaque una illa opinio potuit haud difficulter efficere, ut ubi Saxonica jura, ibidem & hi libri obtinerent, adeoque hinc Saxonica jura peterentur.

Et verò hic codex ſecutis ſeculis præcipuus fons habitus Saxonici juris: ideoque in interpretationem ejus à viris præclaræ nobilitatis & dignitatis eſt haud parùm laboris impenſum. Gloſſa ad lib. III. art. LXV. *Super intellectu articuli præſentis nonnullæ fuerunt opiniones & controverſiæ. Quidam enim ut Burchardus Epiſcopus Magdeburgenſis & Comes Otto de Falckenſtein intelligere voluerunt articulum.* Item. *Alÿ verò ut Volradus de Dreyenleben & Conradus de Roslau intelligere textùm voluerunt.* Item. *Alii verò ut Henricus de Betensleben & Thidericus de Lemvvenden textum intelligere voluerunt.* Ex his verò Burchardus Archiepiſcopus is eſt, qui à civibus Magdeburgenſibus anno MCCCXXVII eſt occiſus. Quo patet jam tùm ſtudioſos Saxonici juris viros maximos hunc codicẽ conſulere ſolitos. Junior eſt

auctor gloſſæ. Vixit enim quantû videtur ſeculo decimo quinto: vir hiſtoriæ licèt omnis imperitiſſimus, qui tamẽ ad Saxonici juris cognitionem, Romani quoq; & Pontificii haud mediocrem peritiam attulit. Sed alienum ab inſtituto fuerit ſi de interpretibus velim dicere.

Minus certi quid dicere nobis licet de IURE FEUDALI SAXONICO: Nam & auctor incertus eſt, nec de tempore confecti libri poteſt ex ipſo ſcripto multum colligi. Atq; Gloſſa quidẽ Speculi libro I. artic. XIV & XXVI libro III artic. LXXVIII opus illud adſcribit Friderico Secundo Cæſari. Gloſſa item Germanica juris illius Feudalis Fridericum Cæſarem de Stauffen autorem operis facit. Verùm non licet illorum hiſtoriis & narrationibus totò credere. Tum verò Gloſſator Speculi ad artic. XII *L. I.* fidem decoquit. *Carolus*, inquit, *Magnus ius provinciale Saxonibus ſtatuit, Fridericus verò Imperator ius Feudale: ut in auth. Ad nſib: feudor. collat: 10.* At in authenticis nullibi legas à Friderico II. Imperatore Saxonib⁹ feudale aliquod jus datum eſſe. Nec *in libris Feudal. Langobardic.* Friderici illius conſtitutiones niſi paucas ejus argumenti reperire eſt. Recitat Radevicus conſtitutionem inſignẽ à Friderico I. in Roncaliis de feudis latam *l. IV. cap.* VII. quæ & alibi memoratur ut omnium clariſſima. De toto aliquo libro feudali, vel ab illo vel ab hoc promulgato, nihil narratur. Itaque etiam hoc fabulis Gloſſatorum illorum annumerandum eſt. Veriſimilius videtur ab aliquo juris perito privatâ opera librum conſcriptum atque ita in uſum, cùm ſimilis argumenti nihil exſtaret, traductum eſſe. Forte etiam ipſo illo decimo tertio ſeculo jàm prodiit: ſub initium quippe ſequentis ſeculi jam in Bohemiã ac Poloniam commigraſſè videtur.

tur. Nec tamen id certò aſſeruerim. Illud certius eſt ſeculi decimi quarti fine magnũ pretium obtinuiſſe.

Similiter nec de Suevici Iuris Provincialis Ac Feudalis Speculo certò aſſerere licet aut quo auctore aut quãdo cœperit. Melchior Goldaſtus *præfat. in tom. I.* Reichſatzungen (cui operi Suevicas illas leges inſeruit) narrat quidem ſibi acceptum, Bertholdo Barone de Grimmenſtain auctore Speculum aliquod Suevicum conſcriptum eſſe: non audet tamen illius vulgati Speculi Suevici parentem iſtum nuncupare, quod & in editis & in manuſcriptis codicibus ſibi viſis nomen omne deſideretur. Tempus quod attinet, affirmaverim penè, ſeculo demum decimo quarto librum illum elaboratum eſſe. Namq; *l. 1. cap.* CCCXLVIII ita ſcribitur: Wir leſen auch das Innocentius der Babſt Entſatz Kayſer Otten von dem Römiſchen Reich / durch ander ſein vnrecht. Narrantur itaq; Ottonis IV & Innocentii tertii res, ut vetuſtæ & nonniſi lectione acceptæ. Friderici II mentio fit *epilogo libri ſecundi*: uſus Decreti & Decretalium in foro *l. 1. cap.* V. De Papæ tamen in Cæſarem auctoritate paſſim ita loquitur, ut mos non tulit Ludovico Bavaro imperante. Itaque fortè paulò ante illius tempora codex hic confectus eſt.

Apparet verò legenti, etiã Suevos multa tùm Carolo Magno attribuiſſe quæ minimè ab illo ſunt profecta. Ipſe auctor tamen *l. 1. cap.* V. profitetur opus hoc ex jure ſcripto & conſuetudinario concinnatum eſſe. Et verò ex ipſis legibus Romanis nonnulla tranſcripſit *libro primo* ſed ſæpius perineptè. Ita *cap.* LXI Marcianus Iuriſconſultus huic Marcellus audit, *& cap.* CCCLXXVII Hadrianus Cæſar magiſter eſt. Videtur autem omnino imitatus Speculum Saxonicum ne quidem dubitans in-

tegra capitula ad verbum inde deſcribere. Ne à titulo Speculi quidem voluit abſtinere. Quanquam ille & aliàs illius tempori ſcriptoribus multis arriſerit, ut Vincentio Belluacenſi, Guilielmo Durantis, aliis. Iura quoque ipſa non multum diſſident niſi in ſucceſſione hæreditatum & appellationibus: quod ſcribitur *Speculi Saxonici libr. I art. 17. 18. 19. & lib. I. Spec. Suevici cap. 303. §. 2.*

## CAPVT XXXI.

### *De uſu ſcriptarum legum per ſeculum decimum tertium & quartum.*

HIſce legibus ſcriptis & quidem ſolis fortè (neque enim aliæ ſcriptæ leges ità innotuerunt) uſa eſt Germania à tertio decimo ſeculo penè uſque ad decimum quartum, ex quo tempore Romana jura pedem huc tranſtulerunt. Enimvero in nullis comitiis regni à ſeculo decimo tertio uſque aliæ leges aut propoſitæ aut confirmatæ ſunt. Anno M CC IIX Ottone Cæſare, *Rex & Principes iurarunt, omnia iura à Carolo Magno inſtituta obſervanda & tenenda.* Anno M CC XXXVI Comitiis Moguntinis, Friderico Cæſare, *omnibus Principibus regni Teutonici convenientibus, vetera iura ſtabilita nova ſtatuta in membrana ſcripta Teutonico idiomate publicata ſunt.* Quod idem ſcribit Gothofridus. Quæ nova autem illa fuerint ſupra dictum eſt. Ejus conſtitutionis diſerta verba hæc ſunt *cap.* VI. Wir ſetzen vnd gebieten bey des Reichs Hulde / daß alle vnſere Fürſten vnd alle die Gericht von vns haben rechtrichten / als des landes Sitt vnd Gewonheit ſey. cap. VII. Wir gebieten vnd ſetzen das kein Richter jemands vß der Acht laſſe / er nehme die Gewißheit / das dem Kläger gerichtet werde nach des Landes gewonheit. Poſt

ſum-

ſummos Germaniæ motus & longiſſimum interregnum in eadem prorſus verba conſenſum eſt, Rudolpho Cæſare. Partem conſtitutionis recitavimus jam capite XXVII. Alberti I Auſtriaci *conſtitutione* IV *art.* VI (habet illam Goldaſtus parte altera der Reichſatzungen p. XXIV.) iterùm expreſsè cautum: das dem Klåger gebeſſert werde nach des Landes gewonheit. Ex privilegio Spirenſibus à Ludovico Bavaro conceſſo anno MCCCXV hæc verba Lehmannus *l.* IV. *Chron. Spir. c.* XXI recitat: *Omnia privilegia & jura omnesq; libertates & gracias, quas à ſancta memoria ſummis Pontificibus & à D. Imperatoribus & regibus Romanis, iidem cives habent & uſq; ad hæc tempora habuerunt; necnon ipſorum judicia & conſuetudines approbamus, confirmamus.* In eandem verò ſententiam vulgo tabulæ iſtiuſmodi tùm concipi ſolitæ ſunt per omnem Germaniam: non urbibus tantùm ſed & Principibus conceſſæ. Aureæ bullæ Caroli IV. *cap. V.* cautum eſt, uti Elector Saxo vices Imperatoris interregni tempore gerat in locis illis ubi jus viget Saxonicum: quo ipſo jus illud non obſcurè confirmatur. Idem porrò Carolus IV. Academiam Pragenſem conditurus, tantùm canonici Iuris Profeſſores conſtituit, nullos Romani. Idem obſervatum initiò in Academiâ Heidelbergenſi, Munſtero teſte *l. V. Geograph.* per Rupertum Palatinum conditâ. Quod profectò minimè fuiſſet factū ſi præter vulgaria & Pontificia jura alia quoq; & quidem Romana obtinuiſſent.

Ne in ipſa quidem aulâ Cæſareâ operoſas quaſdam leges fuiſſe in uſu indicat manifeſtò ſimplex illa judicii aulici conſtitutio. Ea de re ita cautum eſt Friderico II. Cæſare anno MCCXXXVI. cap. XXIV. Wir ſetzen auch das des Reichs Hofe habe einen Hoffrichter/ der ein

Freyerman ſey/ der auch in dem Ampte zum wenigſten ein Jahr ſol bleiben/ der ſoll alle Tage zu gerichte ſitzen / ohn den Sontag vnd die heiligen Tag / vnd ſol die Leute richten die jhm klagen von allen Leuten/ ohne Fürſten vnd ander Hochleute/wan es gehet an jhren Lieb oder an jhr Recht/oder an jhr Erbe/ oder an jhr Ehre / das wollen wir ſelber richten. Eadem verba repetuntur in Edicto Rudolphi I. apud Lehmannum *l.* v. *cap.* CVIII. ut & in Edicto Alberti I. apud Goldaſtum *parte II.* Reichſatz. *pag.* XXVII. Vbi *cap. XIII. art. V.* additur: Der Richter ſol auch haben einen ſonderlichen Schreiber der da beſchreiben ſol alle die in die Acht kommen / vnd die Sache darumb ſie darin kommen ſeyn. Ad illum actuarium pertinent & ſequentes articuli ac caput XI. Hinc verò liquet judicium aulicum Imperatoris toto illo ſeculo decimo tertio unum tantùm habuiſſe judicem & unum actuarium vel ſcribam. Id quod indicat non raritatem litium ſolùm, ſed etiam ſimplicem judicii ordinem, more ſcilicet majorum etiam tùm obſervato. Quàm ſimplex porro fuerit ratio procedendi in graviſſimis ipſorum Principum cauſſis etiam ſequente ſeculo, docet decretum Henrici VII contrà Hermannum Bohemiæ regem anno X Françofurti promulgatum, & alterū Caroli IV. in causâ Ruperti Palatini anno LIII Spiræ editū. Extat utrumq; apud Goldaſtum *parte altera* Reichſatzungen. *pag.* 29. *&* 42. Quæ cum itidem nos doceant, controverſias Principum ea ætate Cæſaris & Parium curiæ, quos vocant, ipſorummet judicio deciſas extemporaneâ operâ, etiam hoc ipſo docent, in ejuſmodi maximis judiciis conſuetudines atq; æquum ac bonum pro lege obſervatas eſſe: neq; enim vel Cæſares ipſi vel Principes alterius juris peritiâ inſtructi erant.

Verùm

Verùm inter omnes ſcriptas leges Germanicas quàm latiſſimè obſervatæ ſunt Suevicæ & Saxonicæ. De illis in hæc verba Goldaſtus *præfatione ad part. 1.* der Reichſatzungen / loquitur: Es iſt der Schwabenſpiegel bey den Schwaben in Schwäbiſchen gebieten/ als Algowern/ Schwitzer / Pündner / Walliſer/ Sapſojer vnd Burgundner noch zum guten theil im zwanck vnd in jhre ſtatuta gezogen. Magdeburgicum jus (pars Saxonici) quàm late fuerit diffuſum, ſuprà dictum jam eſt. Totius Saxonici Iuris auctoritas quæ fuerit latè per Germaniam, quo tempore Aurea Caroli bulla prodiit, liquet quod ejus finibus Saxonicum Imperii vicariatum concluſerit Carolus.

Ipſum Speculum Iuris Saxonici quanto in uſu fuerit anno ſeculi decimi quarti ſeptuageſimo tertio, quo tempore Gregorius XI illud exterminare eſt conatus, ex ipſis Papæ verbis diſcere eſt. *Fide digna & admodum moleſta plurieſq; inculcata relatio plurimorum ad noſtrum perduxit auditum, quod in Saxoniâ & nonnullis alijs partibus, quædam deteſtabilia ſcripta, Leges ſeu Speculum Saxonum vulgariter nuncupata & inferius annotata, apud nonnullos nobiles atque plebeios reperiuntur, quæ judices & incolæ partium earundem, omiſſis canonibus, alijsq; ſcripturis ſacris contemptis, à longis retroactis temporibus obſervarunt, & obſervant etiam de præſenti.* Tranſmiſit vero hanc bullam ſuam Gregorius Avenione ex Galliâ non tantùm Carolo IVto Imperatori, verùm etiam Moguntinenſi, Colonienſi, Bremenſi, Magdeburgenſi, Pragenſi & Rigenſi Archiepiſcopis, eorumq; Suffraganeis Epiſcopis, (ut eſt in epiſtolâ ad Carolum Cæſarem) publicandam. Quo liquet per omnium horum diæceſes codicem hunc jam tùm in fori uſu fuiſſe, adeoque in Bohemiæ quoque

regnum

regnum & Livoniam penetraſſe. Illo verò tempore jam floruiſſe juris Saxonici partem VVeichbildicam in Polonia ex ſuprà dictis ſatis conſtat. Nec tamen bulla illa Papalis etiam illuc tranſmiſſa eſt; quod nondum Speculum illud Saxonum illic obtineret. Et vero Sigiſmundo I. rege videtur illud demùm in Poloniam receptum. Quamvis verò Gregorius ille undecimus Papa totum codicem videatur damnare, quatuordecim tamen articulos tantum, quos vocant, voluit exterminatos, qui Bullæ Papalæ ſolent vulgò ſubjici. Eoque ne quidem illâ atrociſſimâ condemnatione Papali auctoritas totius codicis in tot fora recepti frangi penitus potuit aut tolli, ſed quatuordecim illa tantum inducta à nonnullis ſunt & improbata.

Meretur hîc annotari, in bullà illa Papali eo maximè nomine damnari codicem iſtum, *quod Apoſtolica denegetur poteſtas & veritati catholicæ fidei derogetur*; id enim omnium *deterrimum* eſſe, cum alia faciant, *contrà bonos mores & legem naturæ.* Sunt autem inter quatuordecim articulos damnatos tres tantum qui illius notæ videri poſſint, ſecundus, tertius & quartus. Iſte eſt: *Papa non poteſt nec aliquis alius Dominum Imperatorem excommunicare poſtquam conſecratus eſt & unctus, niſi ſolùm in tribus caſibus: ſi dubius ſit in fide: ſi repudiet uxorem ſuam legitimam; ſi deſtruat Eccleſiam.* Ille: *Excommunicatio neminem debilitat in iure terræ ſeu feudi, niſi ſequatur regularis proſcriptio.* Hic: *Papa non poteſt aliquo modo ius condere vel ſtatuere, per quod valeat ius noſtrum, hoc eſt ſtatutum terræ vel feudi Saxonicum, deteriorari.* Quæ an deteriora ſint iis quæ bonos mores & legem naturæ evertunt, judicent quotquot vel leviter judicandi pollent facultate.

Sim-

Simpliciter verò loquendo tanta olim fuit exiſtimatio Saxonici Iuris ut non in multas Germaniæ partes tantùm verum etiam Livoniam ac Bohemiam imò & in Poloniam ipſam fuerit receptum. Poſterius quando & quomodo factum ſit diverſa opinio eſt. Sunt enim qui autumant id accidiſſe quo tempore regio illa tributum Germanico Imperio cœpit pendere. Verùm utut in eum modum Polonos olim ſubegerit Henricus ſecundus, ac tributum illud annuum ad quingentas libras acceſſiſſe ex Ottone Friſingenſi *l. VII. chron. cap. XIX.* videatur poſſe colligi: nullibi tamen legas etiam jura iis præſcripta. Præſertim quum aliàs Germanicæ gentes victos populos ſuis legibus vivere permiſerint. Sigiſmundus III. Rex Poloniæ longè aliter de introductione juris illius in Poloniam diſſerit, in iis tabulis quibus Speculum Saxonicum & VVeichbildicum confirmat. *Magna laus*, inquit, *ſumma prudentiæ tribuenda eſt Sereniſſimis ſuperioribus Poloniæ Regibus: qui cùm animadvertiſſent, quantum rerum omnium, non modò quæ ad uſum vitæ, verum etiam quæ ad cultum ſplendoremq; pertinent, commercium Regni Poloniæ mercatores cum finitimis ſibi Germanis haberent, Teutonico jure urbes & oppida ſua uti voluerunt. Nam conſociatum eſſe jure, ſingulare quoddam eſt ad tuendam fidem, quæ eſt humanarum actionum, negociorumq; fundamentum. Hoc genere gloriæ perpetuis ætatibus Caſimiri M. Regis memoria vigebit: is omnium primus hanc rationem juris dicendi, conſtituto ſummo ejus tribunali in arce Cracovienſi inſtituit: & non modò urbibus & oppidis regni, verum etiam pleriſq; pagis permiſit, aliiq; reges permiſere. Hos imitatus Alexander Rex, magnus noſter avunculus, Municipale Ius Codici Legum ac Statutorum Regni, qui in Conventu Radomienſi edebatur, adiunxit:*

*Sigiſmundus verò avus noſter graviſſimus, & ætatis ſuæ Regum pater, Speculum Iuris Saxonici, & illud idem jus Municipale, docti viri Iaskri lucubratione & commentatione illuſtratum, publicari per regnum & ditiones ſuas voluit, eidemq́ autoritatem tribuit.* At verò Caſimirus quidem Rex non primus in Poloniam Saxonicum jus admiſit, ſed ſummum tribunal illius juris Cracoviæ conſtituit, ſuſtulitque edicto appellationem Hallarum aut Magdeburgi tum uſitatam. Quod nos ſupra teſtimonio Mechovii & Iaskerii demonſtravimus, patetque ex tabulis ipſis Caſimiri. Is imò eſt Caſimirus qui Poloniam Germanicæ ditioni in totum ſubtraxit: unde in illum tanquam perduellem lata eſt ſententia Ludovico Bavaro Cæſare anno M CCC XXXIIX. Quis crediderit verò, hoſtem Germaniæ voluiſſe in Poloniam Saxonicas leges adducere? Veroſimilius eſt à Leskone Nigro rege eas admiſſas qui fide Cracovienſium civium, natione Germanorum, ſervatus plurima Germanis induſſit circa annum M CC XXXXIIX. Diſertis verbis id narrat Iodocus Ludovicus Decius *l. vetuſtat. Polonicar. Tandem Teuthonicorum Cracovienſium opera, arce in fide ſervata, ex Hungaria collectis copiis Conradum & qui eum ſecuti acie uno prælio vicit, atq́ ſic rerum potitus Germanos ob fidem innocentiſſime ſervatam prærogativis extulit. Hinc magiſtratus urbis & alia inſignia ſolis Teuthonicis perpetuo iure conceſſit. Tanto Teuthones proſequutus affectu, ut habitu atq́ moribus ſe illis conformare non dubitaret.* Item: *Ab eo tempore Sarmatiæ principes atq́ reges Germanorum fidem in precio habere cœperunt, hincq́ in totum fermè regnum iura Teuthonica introducta, atq́ in hunc ætatem innocentiſſime cuſtodita ſunt.* Leskonis illius ſumma beneficia & propenſum animum in Germanicos Cra-

ovviæ cives memorat quoque Mechovius *l. III. cap. XLIX.* Sed hæc fortaſſis nonnihil ſunt aliena ab inſtituto. Certum verò, hodieque in Polonia paſſim Saxonici juris ſummam eſſe auctoritatem: exteris populis majore veneratione Germanica proſequentibus quàm ipſis Germanis.

Cæterùm is frequens uſus Saxonici juris effecit indubiè ut Magdeburgi, Hallis, alibiq; collegia illius juris peritorum coierint. Quorum auctoritas indubiè crevit, natâ opinione, ita inſtitutum ab ipſis Ottonibus, ut in dubio Hallis aut Magdeburgi jus quæreretur. Quod legitur *Iuris VVeichbildici cap. V.* Eſt autem mera fabulæ: neque illa collegia fortè antè ſeculum decimum quartum cœperunt, ut jam ſuprà dictum eſt. Ea vero fuit impoſterum reſponſorum vis, ut pro lege penè valuerint: eoque plurima eorum in libros digeſta ſunt. Par ratio fortè eſt judicii Rotvvilenſis. Quanquam enim illud à Conrado Cæſare anno M C XLVII. inſtitutum feratur, vereor tamen ut certis documentis id queat probari. Fortè tamen olim auctoritas ejus porrexit ſeſe per omne ſpacium illud quod *part. II. tit. I. Reformat. Rotvvil.* deſcribitur.

## CAPVT XXXII.

### *Ius Romanum ut & Feudale Langobardicum, in ſcholas & fora Germaniæ ſeculo decimoquinto introducta eſſe.*

HÆc in univerſum ratio legum fuit per Germaniam uſque ad ſeculum decimum quintum. Ab

illo autem tempore videntur Iura Romana ſenſim irrepſiſſe.

Enimvero ex illo uſque conſiliis & judiciis Romani Iuris doctores admotos eſſe obſervare licet. Iam tum anno ſeculi illius ſexto decimo ab ordinibus Germaniæ & Cæſare Sigiſmundo fuit concilio Conſtantienſi propoſitum, decernerent Patres, Das der vierdte Theil alles einkommens (recito ipſiſsima verba prout habentur apud Goldaſtum *part. II.* Reichſatzungen *pag. 95.*) Von den Kirchenlehen / verſtehe den gröſſern / ſo vber zehen Marck Silber taxirt ſeyn / für die gelehrten Leut hinder ſich ſollen legen vnd auffheben / alſo daß in jeder Thumbkirchen der vierdte Theil aller Thumbſtifften vnd Pfründen auffgehebt werde für die *Doctores* vnd Licentiaten der H. Schrifft / deßgleichen geiſtlichen vnd weltlichen Rechtens. Gleichsfals in den Chorſtifften / welche gröſſere Pfründen / vnd die genandten Tax vberſchreiten habent / ſol der vierdte Theil von den Chorherren vnd anderen Pfründen für gemelte *Doctores* vnd Licentiaten der H. Schrifft vnd Rechtens / oder auch die *Doctores* der Artzney vnd Meiſter der freyen Künſten / oder auch für ein Baccelar in vorgedachten Faculteten der H. Schrifft / geiſtlichen vnd weltlichen Rechtens / vnd der Artzney auffgehabt werden. Ipſi Sigiſmundo Cæſari à conſiliis fuit Georgius Fiſcellus utriuſque juris doctor. Ludovici Palatini Doctor ſubſcripſit comitiis Baſilienſibus, apud Goldaſtum *part. II.* Reichſatzung. *pag. 302.* Anno ejus ſeculi quadrageſimo Moguntiæ in comitiis rurſū decretū fuit Baſilienſi Concilio proponendū, de canonicatuum, quos vocant, quorundam dignitatibus & proventu non Theologię tantùm & Medicinę ſed & Canōici ac Romani Iuris Doctoribus aſſignandis. Videatur decretum *part. II.*

Reich-

Reichſatzung. *Goldaſti pag.149.* Sequente anno conſcripta eſt Reformatio Friderico Cæſari attributa: ex qua luculente perſpicere eſt, illa ætate Iuris Doctores inſigni numero & in conſiliis & in judiciis floruiſſe. Imò haud obſcurè colligere eſt intrà quinquaginta proximè elapſos annos in Germaniam illos perveniſſe. Verba integra non multò pòſt recitabuntur. Quin actum à nonnullis Germaniæ ordinibus tùm eſt de numero Doctorum illorum reſtringendo, iiſque ab omni conſilio & judicio ſemovendis. Id quidem dictu mirum fortè, verum tamen eſt.

Habet Goldaſtus *part.I.* Reichſatzungen *pag.166.* tractatum cujus modò meminimus, hoc titulo: Kayſer Friederichs des Dritten Reformation im heiligen Römiſchen Reich Teutſcher Nation fürgenommen / vnd proponiret auff dem Reichstag zu Meintz / Anno Domini M CCCC XLI. Illum ab ipſomet Friderico Cæſare Ordinibus propoſitum eſſe multis autographis doceri poſſe cenſet Goldaſtus *pag.312.* mox tamen ſui immemor vult à Germaniæ urbibus in medium adductum eſſe in comitiis regni Germanici. Neutrum certò aſſeruerim equidem: id conſtat in comitiis libellum hunc publicæ deliberationi propoſitum, aliamque eſſe Reformationem Friderici cujus ipſe meminit in aliis edictis apud Goldaſtum & alibi. Et vero actum eſt illa ætate de tota republicâ rectius impoſterum inſtituendâ, magno ſtudio & multo labore. Ejus libelli autem articulus quintus ita ſe habet: Alle Doctores der Rechten / ſie ſeind Geiſtlich oder Weltlich / im heiligen Römiſchen Reich Teutſcher Nation / ſollen nach laut der fürgenommen Reformation / an keinem Gericht bey keinem rechten / auch in keins Fürſten oder andern

Rähten mehr gelitten/ ſondern gantz abgethan werden. Sie ſollen auch fürbaßhin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden/ ſchreiben/ oder raht geben. Id quomodo intelligendum ſit longa declaratione per partes deinde exponitur. Eſt autem & illa heic adducenda, ſaltim ut pateat quid nonnulli Ordinum tum temporis moliti ſint. Die Erklärung des fünfften Artickels derſelben declaration iſt alſo fürgenommen. Im heiligen Röm. Reich Teutſcher Nation / bey allen Univerſitäten/ die beim Reich zugelaſſen werden / darvff man Doctor vnd Lehrer der Rechten machet / ſollen drey Doctores im Rechten gehalten werden vnd verlegt / die der Rechten / ſo mit waren Grund beſtettigt vnd zugelaſſen ſeind/ ſollen warten/ auch dieſelben vnd nichts anders im Rechten leſen oder lehren/ vnd ſich auch anders nicht weiter führen laſſen oder davon dringen/ dann wie es im Reich geordnet vnd beſtetigt wird. Ob aber groſſer Irrung halber ein Rahtſchlag/ der ſich einer Vrtheil wol vergleichte/ von jhn ſamentlich begerdt würde/ das ſollen ſie alle drey einmüdiglich vmb fürderung willen der Sachen annehmen/ vnd innerhalb eines Monats oder dreiſſig Tagen denſelben vrtelweſſigen Rahtſchlag beſchlieſſen/ vnd denſelben/ von den er herkumbt/ wieder vberantworten/ damit im Rechten niemandts verkürtzt werde / vnd alle Menſchen darin gefürdert/ auch zu end des Rechten kommen mögen. Dann ein vnbillicher Verzug im Rechten iſt dem gemeinen Mann ein ſchedlich Ding an ſeiner Nahrunge. Die ander Erklärung des fünfften Artickels derſelben declaration / iſt im heiligen Römiſchen Reich Teutzſcher Nation alſo fürgenommen. Das an keinẽ Rechten/ hoch oder niedern Stands keine Doctores ſollen ſitzen / helffen Rechtſprechen/ ſchöpffen/ noch beſchlieſſen. Wann jhnen das harter/ dann den Leyen verſchloſſen iſt / vnd kan jhr keiner ein

Schlüſ-

Schlüſſel darzu finden / bis bayde Theil arm werden oder gar verdorben ſind. Aber der Ley behelt doch den Schlüſſel zum Rechten bey jhme / das man zu zimlicher Zeit das Recht herfür bringen mag. Aus dieſen Vrſachen kan man die Gelerten in keinem Rechten mehr leiden. Darzu ſeind es nun beſoldte Knechte / vnd nicht erbdiener des Rechten. Die dritte Erklärung des fünfften Artickels derſelben declaration / die iſt alſo fürgenommen. Das im gantzen Röm. Reich Teutſcher Nation keine Doctores mehr vor keinem Rechten weder reden / procuriren oder weiter procedirn ſolle / in ſchrifft oder andern Rahtſchlegen: ſondern aller weltlichen Recht müſſig ſtan: darumb daß ſie Stieffväter vnd nicht die rechten Erben des Rechten ſeind. Dann ſie nehmen jhme den Grundt der Warheit / vnd bringen durch jhren vnordentlichen Geitz das Recht zu einem ſolchen Vnglauben / daß kein from Mann ſein Vertrawen darein mehr ſetzen mag. Das hat ewer verkehrte Lehre jnner funfftzig Jahren zu wegen bracht: wo iſt es vor erhort worden? Die vierdte Erklärung des fünfften Artickels derſelben declaration / die iſt alſo fürgenommen. Das im gantzen Röm. Reich Teutſcher Nation zugelaſſen iſt / allen Stenden / Fürſten / Graben / Freyen / Herrn / Stedten vnd Gemeinden vergundt / Doctores vnd Lehrer der Rechten zu halten: doch mit ſolcher Form vnd Maß / das die in kein Reichs Raht als Anwaldt oder Verweſer / auch in anderwege nicht gehört oder zugelaſſen würden / dergleichen weder in Fürſten oder der Stadt Raht gehordt oder Rahts weiſe geſetzt werden ſollen: Ob aber Fürſten / dergleichen Stadt vnd andere je Doctores haben wolten / den mögen ſie eigen Rahtsſtuben halten / wann jhn ſchwere Händel fürfallen / das ſie jhn darüber Rahtſchleg machen mögen. Damit mögen ſie eins Fürſten oder einer Stadt heimligkeit nicht gründlich erfahren: dann bey jhnen

nichts

nichts verſchwiegen iſt. Sie ſeind nicht anders Räthe/ denn des Goldts vnd des Geiz.

Hactenus *Declaratio* iſta. Quam equidem periniquam puto & longè duriſſimam. Enimverò in atrocem adeò ſententiā itum eſt procul dubio non aliâ de causâ, quàm quod illi ordini Doctorum permiſti quidam rabulæ peſſimis fori Pontificii moribus tranquillitatem Germaniæ tum perturbaſſent. Illi ſcilicet curiæ debetur quicquid eſt rabularii negotii. Nulli ſanè alii etiam Galliam omne hoc malum debere prudenter monet Franciſcus Hotomanus *cap. ult. Francogalliæ. Veriſſimum arbitror*, inquit, *quod video à nonnullis hominibus noſtris traditum, tantam litium, calumniarum, & ſycophantiarum ſementem factam primam à Papa Clemente V, qui Philippi Pulchri tempore Papatus ſedem Avenionem tranſtulit: tumq́; magnâ ipſius aulici & pragmatici conſuetudine cum hominibus noſtris implicarentur, ſemina Romanæ artis rabulariæ in mores noſtros ſparſiſſe.* Et verò primorum quidā apud nos Iuris Doctorū in Italiâ educati ſunt, ut mirum non ſit ſcabiem aulæ Pontificiæ illorum multis affrictam. Quin ex Italis ipſis nonnulli in Germaniam tùm tranſierunt. Quomodo ex Italia ſecum adduxit Bogiſlaus decimus Pomeraniæ Dux Petrum Ravennatem, ejuſque filium Valentinum. Itali quoq; fuerunt, qui Matthiâ Hunniade Rege, Hungariâ ſubito litibus repletâ, effecerunt, ut ipſum Ius Romanum mox inde in exilium pelleretur. Qua de re legi meretur Ludovicus Vives *l. VII. de cauſſ. corruptar. art.* Cæterùm utut illi peritorum Romani juris ordini quædam fuerint permiſta tum vitilitigatoria ingenia, non tamen paucorū vitio tòtus ſanctiſſimus aliàs ordo proſcribi meruit. Et verò quid vel Romani vel Pontificij juris

juris peritia bonis conſiliis obſtat vel judicandi prudentiæ? Sanè omni ævo viſum prudentioribus, cum ad rempubl. utiliſſimum, qui Vlyſſis exemplo

*Multorum mores populorum novit & urbes.*

Taceo nunc, eâ tempeſtate commodè rempublicam noſtram geri non potuiſſe ſine legum illarum notitia: ſaltim ob aulæ pontificiæ etiam in mediâ Germaniâ auctoritatem & Italiæ Galliæque viciniam, quæ jam leges illas obſervabant. Omnis hominum ordo ſua carcinomata habet. Ipſe ſanctiſſimus Apoſtolorum cœtus ſcelus ingens intrà ſe aluit. Si paucorum crimen in omnium culpam trahendum eſt, actum profectò eſt de humano genere. Verùm quo me abripit ſententiæ illius indignitas? Id notatu dignum, omnes illos quorumdam Germaniæ Ordinum conatus, de quibus modò dictum, unà cum exoptato illo reformationis negotio in fumum abiiſſe, plæriſque alijs in adverſa diſcedentibus. Quamvis enim ipſemet Fridericus Cæſar de Iuris Doctoribus minùs benignè ſenſerit, ut qui, teſte Cuſpiniano in ejus vitâ, *dixerit juris ab eis æquitatem inverti, juſtitiamq; fœdari*, nihil tamen in illos durius conſtitutum eſt: omni illâ reformatione ſequente anno degenerante in pauca illa decreta quæ in vulgato codice der Reichs Abſcheiden poſt Caroli IV bullam primam paginam conſtituunt. Itaque tantùm abeſt Doctores juris à conſiliis & judiciis impoſterum vel ad leve tempus fuiſſe ſecluſos, ut omnia penè conſilia, omnia judicia, ſolis illis ſint concredita. Etiam hinc tamē patet, jam tum, à quinquaginta annis ferè, Iuris Romani Doctores in Germaniâ ſatis magno numero & judiciis & conſiliis præfuiſſe.

Cæterùm cum Doctoribus haut dubiè ipſius Ro-

mani juris etiam uſus aliquis invaluit. Et verò in Academiis Germanicis omnibus, quæ magno numero poſt Heidelbergenſem intrà breve tempus tùm inſtitutæ ſunt, jus illud doceri cæpit. Vt proinde peritiâ illius juris brevi paſſim per Germaniam plurimi inſtructi fuerint. Illos porrò profeſſores Academicos de jure jam tum reſpondiſſe, alios Doctores judiciis præfectos fuiſſe ante annum quadrageſimum ſeculi quintidecimi, abundè liquet ex ijs quæ paulo antè in medium adduximus. Apertius id perſpicere eſt ex iis quæ habentur *Reformat. Friderico adſcripta artic. VII.* Alle Kayſerliche Weltliche Recht/ ſo biſsher im heiligen Römiſchen Reich Teutſcher Nation gebraucht vnd dafür gehalten ſeind / ſollen alle tode vnd ab ſeyn: allein die / ſo durch die Rechtweiſtendigen mit lauterem Grund vnd klarer Warheit ohne arge Liſt Rechtlich erkandt ſind / ſollen gehalten vnd beſtetigt werden/ damit der Arm ſo viel Freyheit vnd zugangs habe im Rechten als der Reich/ vnd ob er ſchon ein Fürſt were / ſunder arge Liſt vnd Gefährde. In *quarta declaratione eius articuli* ſub finem ſcribitur. Man mag ſich auch an all den Gerichten der Kayſerlichen Rechten gebrauchen / die mit rechtem wahren Grund erklärt/ angezeigt vnd zugelaſſen ſeynd / laut der Gerichts-Ordnung. At verò abrogatione non eſt opus niſi fuerit in uſu quod eſt abrogandum: voluerunt autem illi Ordines (quiqui etiam fuerint) abrogatum jus omne Cæſariū quod moribus receptis non conveniſ.

Saltim igitur in quibuſdam Germaniæ locis jam intra primos illos quinquaginta annos jus Romanum cæpit in foro. De omnibus tamen minimè id affirmaverim. Certè in plæraq; Saxoniæ & Friſiam ac Hollandiam longè ſerius, & quidem ſeculo demum ſextodecimo de-

mo de-

mo devenit. Vlricus Huttenus ante hos centum viginti annos adhuc ſcripſit, Saxoniam moribus antiquis viventem Bartolum Baldum ac Iuſtiniani Pandectas ignorare. In Friſiam occidentalem Romana jura primus Georgius Saxo adduxit: quod Vbboni Emmio eſt annotatum: in orientali Friſia meà ejus uſus aliquis intra hos centum annos cepit. Etiam fora omnia provinciæ Brunſvicenſis fortaſsè jura illa ignorarunt antè Ducem Henricum Iuniorem. De foris loquor & judiciis publicis. Simpliciter enim defuiſſe qui peritiâ juris illius valerent, haud equidem affirmaverim: quum videam gloſſatores juris Saxonici jam initio decimi quarti ſeculi haud leviter legum illarum ſcientia fuiſſe imbutos. Cæterum ut nonnulla Saxoniæ loca ſerius jura iſthæc acceperint, ex iis tamen quæ in medium adduximus ſatis patet, exordia illorum in Germania ad initium quinti decimi ſeculi meritò referri poſſe.

Per eadem tempora in Germaniam videntur traduci cæpta IVRA FEVDALIA LANGOBARDICA. Enimvero ut feudalia inſtituta omnib⁹ populis Germanicis communia, ita ſingulis ſua ſunt. *Nam Gothi, Vandali Alemanni* (verba ſunt maximi viri Hugonis Grotii *lib. II. de iure bell. cap. VII. §. XXI.*) *Franci, Burgundiones, Angli, Saxones, nationes omnes Germanicæ, qui partes opimas Imperii Romani bello occuparunt, ſuas ſinguli leges aut mores de feudis non minus quàm Langobardi habuerunt.* Iamque tùm in literas ſatis exactè relatæ erant conſuetudines feudales Saxonicæ & Suevicæ: de quibus ſupra verba fecimus. Nec difficile erat ad eundem modum ſcripto comprehendere inſtituta aliarum Germaniæ gentium: quomodo ante non multos annos Fridericus à Sande I.C. Geldriæ & Sut-

ſaniæ conſuetudines feudales à moribus Langobardicis multùm differentes ſingulari commentario illuſtravit. Neque Langobardica illa præ aliis inſtitutis publico decreto ſunt recepta. In Germaniam tamen videntur jam tum penetraſſe. Gloſſatores ſane Saxonici juris frequenter illa laudant: ex illo etiam tempore Suevicum jus feudale adeo deſiit, ut illius libri pauciſſima exempla jam ante hos centum viginti annos in Germania licuerit reperire; quod ex Munſtero liquet: non multo pluribus Saxonici quoq; ſuperſtitibus.

## CAPVT XXXIII.

### *Quomodo & inquantum Leges Romanæ, ut & Feudales Langobardicæ, in Germaniæ ſcholas & fora ſint receptæ.*

IGitur Ius Romanum & Feudale Langobardicum ſeculo quinctodecimo apud nos cum in ſcholis tum in foris paſſim invaluiſſe, nullum dubium eſt. Conſequens eſt, quomodo, quave de cauſâ, nec non inquantum illa admiſſa ſint, enarremus.

Atque in Academiis quidem doceri cœpta Romana jura, indubiè Italicarum ſcholarum exemplo: ad quarum normam penè omnes noſtræ conſtitutæ ſunt. Etſi enim Heidelbergenſis Academia initio nullos habuerit Romani juris profeſſores: mox tamen & illi iſthuc acciti ſunt. Reliquæ Academiæ ab initio ſtatim eos admiſerunt. Quoniam verò multæ ab eo tempore Academiæ conditæ, itaque paſſim cœtus docentium & diſcentium illa jura inſtituti, adeoque brevi magna juris illius peritorum multitudo per Germaniam ſuccrevit.

Difficilior explicatu eſt illius Romani juris in fora

noſtra

noſtra receptio. Videndum primùm quomodo illa habeat ſeſe in foro communi Cæſareo: inde quomodo in reliquis. Quod prius attinet, equidem hactenus invenire non potui, ullo comitiorum regni decreto Ius illud receptum ante annum ſeculi decimi quincti nonageſimum quinctum. Obſervatum idem eſt diligentiſſimo Germanicarum rerum indagatori Chriſtophoro Lehmanno *l. IV. chron. Spirenſ. cap XXI. pag. 337.* Verba ejus ita ſe habent: In keiner Hiſtoria iſt zu finden das ein Kayſer oder König die alten Geſetze vnd Rechte der Teutſchen abgeſchaffet oder andere Rechte an dero ſtatt anzunehmen geboten / bis bey auffrichtung des Kayſerlichen Kammergerichts / die Kayſer Fürſten vnd Stände des Reichs / nach den beſchriebenen gemeinen Rechten alle bürgerliche Streit vnd Rechtſachen zuentſcheiden vberkommē vnd verabſcheidet. Hæc ille. At judicium Camerale inſtitui cæpit Maximiliano Cæſare, anno illo nonageſimo quincto. Nec tamen verum eſt quod videtur dicere Lehmannus, illo tempore abrogatas priſcas leges & conſvetudines, earumque in locum ſolas Romanas receptas eſſe. Paulò pòſt idipſum perſpicuum faciemus. Cæterum primâ illius ſeculi ætate à majoribus Principum negociis leges Romanæ penitus excluſæ fuerunt: tantùm abeſt tum temporis illas in curiâ Cæſareâ publico conſenſu fuiſſe receptas. Extat decretum Sigiſmundi Cæſaris anno ſeculi illius ſeptimo decimo, apud Goldaſtum parte altera Reichſatzungen *pag. 99*, in cauſa duorum Principum Palatinorum, editum. Inter alia dicitur. Hierauff war nach vnſerer Frage von den Fürſten allen einhelliglich zum Rechten geſprochen. Nach dem vnd wir hie in Teutſchen Landen zum Rechten ſeſſen / als ein Römiſcher König / vnd Her-

tzog Ludwig vnd Hertzog Heinrich vorgenant beyde Teutſche Fürſten weren vnd zum Reich gehörend / vnd die Sach Teutſch vnd vmb des Reichs Lehen were / die in Teutſchen Landen gelegen weren / vnd wir ſein beyderſeits ein Teutſch Recht mit Teutſchen Fürſten beſetzt hetten / vnd beyde Theil mit Teutſchen Fürſprechen fürgeſtanden / vnd jhr Sach nach Teutſchen Rechtens Gewonheit fürgelegt hetten / ſo ſprechen ſie zum Rechten / was jeglicher Theil fürlegen wolte / es were Brieffe Worte oder andere redliche Kundſchafften / daß er das in Teutſchen vnd nach Teutſchen Rechtens Gewonheit durch ſeinen Fürſprechen thun vnd fürlegen ſolte. Vbi obiter etiam id diſcimus, judicio illi præfuiſſe Cæſarem ipſum cum Principibus tanquam Curiæ Paribus, ut loquuntur. Ad talem ſcilicet conſeſſum feudalia negocia omnia majora tum delata ſunt. Sigiſmundus idem Cæſar *epiſtola ad concilium Baſilienſe* anno illius ſeculi triceſimo quarto perſcriptâ, in negocio Erici Lavvenburgici, ita loquitur: *Cum itaq; Principatus officium ac jus ſupradicta à nobis ac Imperio noſtro in feudum immediatè deſcendant, ac ſecundum iuris communis diſpoſitionem, nec non uſum, morem, ſtylum & conſuetudinem ſacri Romani Imperii, feudalis contentio per Dominum feudi, ac pares curiæ terminanda ſit; liquet, hanc quæſtionem, ſi qua prætendi poterit, ad noſtram & illuſtrium Archiprincipum noſtrorum ſacri Romani Imperii Electorum pertinere notionem.* In eandem ſententiam ibidem & alia habentur. Nec verò aliter obſervatum eſt jam Friderico III Cæſare; ceu liquet ex reſcriptis illius Cæſaris anno ſeculi illius quadrageſimo octavo, editis in diſſidio Palatinorum Principum. Habet illa Goldaſtus *parte ult.* Reichſatzungen *pag. 145.* jam antè vero publicaverat auctor *Information. Iuris & Facti in cauſſâ Donavverdenſi.*

At Principes utique nullâ juris Romani peritiâ, tantùm æqui bonique conſuetudinumque Imperii notitiâ imbuti indubie fuerunt, ideoque etiam tum maximæ controverſiæ non ex Romanis legibus, ſed ex ſimplici ac priſca formulâ deciſæ ſunt, adeoque minimè uſitatum tum fuit, ut omnes cauſæ in Cæſareo judicio ſecundum leges Romanas deciderentur.

Igitur primùm Maximiliano Cæſare conſtitutum, ut ſententiæ in judicio illo auguſto ſecundum leges Romanas pronunciarentur. Nec tamen ſolæ obſervari mandatæ ſunt, priſcis omnibus antiquatis; quod modò audivimus Lehmannum videri dicere. Clariſſimè id apparet ex conſtitutione Maximiliani Cæſaris, anno illius ſeculi nonageſimo quincto VVormatiæ promulgatâ, qua judicium Camerale inſtituitur. Inter alia ita ibi cautum eſt. Item Ein jeder ſol ſeine Unterthane in ordentlichen Gerichten/ Rechten und/ Oberkeiten bleiben laſſen/ und halten/ nach eines jeden Fürſtenthumbs/ Graffſchafft/ Herrſchafft und Oberkeits herkommen und gebrauchen. Porrò, in omni illa conſtitutione, de Legibus Romanis obſervandis, nihil legitur: tantùm formula, in quam jurare coacti ſunt aſſeſſores judicii illius, meminit Romanarum legum, verùm ita ut conſuetudinum æquè magnam habendam eſſe rationem, nô obſcurè indicet. Habetur illa in codice der Reichſatzungen & quidem prout paulùm emendata eſt in comitiis VVormatienſibus anno ſuperioris ſeculi viceſimo primo. Dieſe alle ſollen zuvor unſer Kayſerlichen Majeſtät geloben/ und ein Eyd zu Gott und auff das H. Evangelium ſchweren/ unſerm Königlichen oder Kayſerlichen Cammergericht getrewlich und mit fleis obzuſeyn/ und nach des Reichs gemeinen Rechten / Abſchied/

ſchied / vnd den jetztbewilligten / vnd auff dieſen Reichstag auffgerichten Frieden in Religion vnd andern Sachen / auch Handhabung des Friedens / vnd nach redlichen / erbarn vnd ländiſchen Ordnungen / Statuten vnd Gewonheiten der Fürſtenthumben / Herrſchafften vnd Gericht / die vor ſie bracht werden / dem Hohen vnd Nidern / nach ſeiner beſten Verſtändniß / gleich zu richten. *Communia iura* indubie Romana ſunt: illis verò junguntur conſuetudines & ſtatuta ſingularum provinciarum. In eadem verba jurare aſſeſſores illos jubet conſtitutio Ferdinandi primi, anno ſeculi ejuſdem quinquageſimo quinto publicata. Videatur *Ordinat. Cameral. part. 1. cap. LVII.* Nec ſine hoc juramento hodieque ulli ejus judicii aſſeſſores admittuntur. Eodem pertinet quod de judicibus iſtis decernitur. *part. I. cap. XIII.* Die Beyſitzer des Cammergerichts ſollen in keiner Sach / ſie ſey ſo gering als ſie jmmer wolle / allein auff jhr gutbedüncken / oder eines jeden erwogen Billigkeit / oder eygen fürgenommen / vnd nicht dem Rechten gemäß / informierten Gewiſſen / ſonder auff deß Reichs gemeine Recht / Abſchied / vnd den jetzt bewilligten / vnd auff dieſen Reichstag auffgerichten Frieden / in Religion / vnd andern Sachen / auch Handhabung deß Friedens / vnd ehrbare / Ländiſche Ordnungen / Statuten / vnd redliche / ehrbare Gewonheiten / der Fürſtenthumben / Herſchafften vnnd Gericht (die für ſie gebracht werden) wie ſolches von alters jederzeit Cammerrichter vnnd Beiſitzern aufferlegt vnnd gehalten worden iſt / nach Vermög vnd Außweiſung jhres Eyds / wie er hieunden geſetzt / Vrtheil faſſen vnd außſprechen. Eâdem de cauſsâ Carolus V. Cæſar decreto comitior. Auguſtanor. anno quadrageſimo octavo, promiſit ſeſe conſtituturum judicij præſidem, & aſſeſſores conſuetudinum Germanicarum peritos.

peritos. Und nach dem uns / als Römiſchen Keyſer zuſtehet und gebühret / einen Cammerrichter unſers Keyſerlichen Cammergerichts zuverordnen: So wollen wir ſolch unſer Cammergericht anfänglich mit einem geſchickten / anſehenlichen erfahrnen Cammerrichter / aus Teuſcher Nation geboren / der uns / und dem Gericht ehrlich und fürſtändig / auch dieſer Nation löblichen Gebrauch / und guter Gewonheiten erfahren ſey / fürderlich verſehen. Folgends aber auff gemeiner Stånd obgemelte underthånigſte heimſtellung / wollen wir berührt unſer Cammergericht / in Namen und von wegen / auch auß underthånigſtem zulaſſen der Churfürſten / Fürſten und gemeiner Stånd / mit geſchickten / gelehrten / tüglichen / verſtåndigen / qualificierten Beyſitzern / auß Teuſcher Nation gebohren / und derſelben Gebrauch und gute Gewonheiten erfahren / beſetzen. Ex hiſce verò omnibus manifeſtum utique eſt, receptum quidem tandem publico Imperii conſenſu Romanum jus in forum potiſſimum, quod *Camerale* appellamus, non tamen ut ex uno illo ſententiæ dicerentur, ſed conſuetudinibus & ſtatutis uſitatis ſuo loco relicto, adeoque hactenus tantùm, inquantum illud jus receptis moribus & legibus non adverſatur.

In alia Germaniæ fora nulla communi totius Imperii ſanctione jus illud traductum eſt. Neque enim ulla lege publicâ ita decretum deprehendas. Multò minùs ullâ Imperii conſtitutio exſtat, quâ priſcæ leges & conſuetudines omnes ſint abrogatæ. Paucæ tantùm ſemel atque iterum antiquatæ ſunt quæ publicis conſtitutionibus adverſantur. Qualia videnda Reichsabſchied / *Anno* 1500. §. Die *Succeſſ.* der Dichter. *Item* Wormbs *Anno* 21. §. Nach dem auch. *Item* Nürnberg / *Anno* 21. *conſtit. Caroli V. Item* Reichsabſchied / *Anno* 1551. §. Und nach

dem, alibique. His & aliis paucisſimis exceptis, quicquid reliquum eſt legum ac conſuetudinum veterum confirmatum potiùs eſt quàm abrogatum. Quum enim cauſæ ex omnibus Germaniæ locis ad ſummum tribunal delatæ, decidi debeant non minus ſecundùm leges & conſuetudines hactenus receptas, quàm leges Romanas, utique legibus illis priſcis auctoritas ſua manſeri neceſſum eſt. Itaque publicâ quidem conſtitutione Imperii nihil derogatum eſt moribus ac legibus hactenus per provincias uſitatis: ut nihil etiam auctoritatis Romano juri in foris provinciarum conceſſum. Igitur quoniam etiam illic Ius Romanum hodiè in magno eſt uſu non minus atque in foro illo ſummo & communi, aliunde ejus origo repetenda eſt. Et verò obſervare licet partim conſuetudine quadam tacitâ, partim Principum, Comitum aliorumque quibus eſt ferendorum ſtatutorum arbitrium, conſtitutionibus, diverſis temporibus in diverſis locis, obſervari illud cœpiſſe. Ex quo enim judicia Romani illius juris Doctoribus commiſſa ſunt, fieri vix aliter potuit quin multi eorum, illius juris cujus audiebant doctores quàm priſcarum Germaniæ legum ac conſuetudinum cùm peritiores tùm obſervantiores, hujus Romani juris uſum ſenſim introducerent; præſertim apud plebem quoque enatâ Iuris illius, utut ignoti, præ antiquis inſtitutis ſingulari exiſtimatione: nec amplius, ut olim, plebe legum ſuarum curam gerente, ſed omni hoc negocio paucis, qui quaſi legum domini hinc redditi ſunt, concredito. Haud dubium tamen quod tacito quodam uſu introductum primò, illud inde, plæriſq; in locis ſuperiorum auctoritate accedente, majorem vim nactam eſſe. Et verò haud difficili

cili

ale eſt plurimorum Principum aliorumque Germaniæ Ordinum publicatis edictis id demonſtrare ſi opus foret. Verùm id fuerit ſoli quaſi lucem fœnerari.

Quantumvis autem ita paſſim per Germaniæ fora Romanum jus cæperit, & multæ priſcæ leges & conſuetudines obſervari ita deſierint, haud crediderim tamen ullibi locorum ſolum hoc jus receptum eſſe, omnibus priſcis moribus & inſtitutis abrogatis. Certè plæriſque in locis haud pauca vetera legibus Romanis præferuntur: nonnullibi in incerto jus fluctuat, nunc Romano, nunc veteri prævalente. Nullibi ſanè ita receptum eſt, ut novorum ſtatutorum, legumq;, etiam cum Romanis pugnantium, condendarum poteſtatem Principes aliiq; Imperii Ordines non ſibi retinuerint. Hinc hodieque paſſim plurima edicuntur & promulgantur, quæ à Romanis inſtitutis immane quantum diſſident. Neque id non rite fieri, prudentior aliquis criminatur. Nefas autem foret, ſi ſecundum ſolas Romanas leges vivendum eſſet.

Igitur conſtat non niſi liberrimo arbitratu jus Romanum à ſingulis Germaniæ ordinibus hic illic receptum eſſe: nec hodiè illud niſi liberè teneri, adeoque non minus nunc in poteſtate ſingulorum Ordinum ſitum eſſe illius juris omne (quod quidem ex conſtituto valet) rurſum abrogandi, atque olim libere illud quiſq; admiſit, & impræſentiarum liberè obſervat. Neque verò eſt cur multis argumentis iterùm eos confutem⁹, qui quaſi ex naturæ aut divino inſtituto, aut eo quoniam Imperii Romani pars hodie Germania audit, illis legibus nos teneri, arbitrantur. Quantum enim illi à vero abſint, vel ex iis, quæ jam in medium allata ſunt, credo

 liqui-

liquidò patere: tum verò jam *præfatione ad Tacit. de morib. Germ.* illos errores perſtrinximus.

Longè minus Romano videtur, IVS FEVDALE LANGOBARDICVM Oberti de Orto & Gerardi Nigri in Germania valere: Scilicet illud fortaſſis ne quidem in ſcholas à Cæſarum quoquam traductum eſt. Etſi enim Friderico III Cæſari à nonnullis adſcribatur quaſi ille Bononienſium rogatu confirmaverit libellos illos & doceri juſſerit, vereor tamen ut hoc ſit vero conſentaneum. Aliter enim narrat Iacobus Spigelius ICtus & rerum ejus Cæſaris peritiſſimus. Ejus in catalogo Imperatorum verba hæc ſunt. *Fridericus III Auſtriacus, ut Haloander indicat, Feudorum conſuetudines, quas veteres appellare ſolebant iura militarium, & Imperator nominat ϛϱατείας, ad preces Bononienſis collegii confirmavit. Nos dubio procul iam haberemus eas ordini ſuo reſtitutas, nimirum quo Principi per tam celebre collegium fuerunt exhibita, ſi per invidiam fati licuiſſet ne quid gravius dicam, de immatura morte Haloandri noſtri.* Hæc Spigelius: quæ ſi vera ſunt, non vulgares illos libellos confirmavit Fridericus, ſed alios à Bononienſibus oblatos. Cuſpinianus Friderico Cæſari familiaris ſcribit juſſiſſe illum, *novum de Vſibus feculorum librum fieri.* Goldaſtus alicubi ſuſpicatur, librum illum à Bononienſibus oblatum auctore Antonio de Prato veteri conſcriptum eſſe. Mirum verò & hoc fuerit, confirmatum à Cæſare iſto librum qui ne Bononiæ quidem aliquâ ſit in auctoritate ſingulari. Quicquid verò ſit de uſu illorum librorum in ſcholis; id certiſſimum eſt: nullo Germaniæ publico decreto vel in communi Cameræ judicio vel in aliis foris feudalia Saxoniæ, Sueviæ aliarumq; regionum inſtituta vetera cum hiſce Langobardi-

bardicis diſertè permutata eſſe. A paucis quoq; Ordinū fortaſſis (ſi modo ulli ſint) conſtitutum eſt, ut hæc præ aliis illis obſerventur. Itaque, quantum videtur, ex ſola quadam conſuetudine apud nos vis illorum hactenus obtinet: indubiè ex quo paſſim terrarum priſca & Germanica illa ſenſim obliterari cæperunt.

## CAPVT XXXIV.

### *Epilogus operis.*

AD hunc modum ratio legum per Germaniam ſeſe habuit ad noſtra uſque tempora. Non opus verò eſt ut multis narremus quales leges aut qualia inſtituta etiamnum obtineant. Sunt enim hæc jam in vulgus cognita, ex parte verò jam tum à nobis indicata. Namque in quantum valeant hodie leges Romanæ & Langobardicæ modò diximus. Pontificia jura magnam partem apud Proteſtantes vim ſuam amiſiſſe, notiſſimum eſt. Nec minus notum, ea quæ in publicis regni comitiis decernuntur, per omnem Germaniam, quæ in ſingulis rebuſpublicis edicuntur in ſingulis illis vim legum obtinere. Nec eſt quem lateat quanta hodieq; conſuetudinum receptarum ſit auctoritas. Itaque etiam id manifeſtum eſt, leges quæ in quâq; Germaniæ civitate obſervantur ex variis admodum fontibus promanare, adeoque ex variis libris petendas eſſe. Quod cum non poſſit non difficile eſſe, fortaſsis haud abs re fuerit, ſi quælibet civitas omnia quæ in uſu ſunt, inutilibus reſectis, ſingulari libello curet comprehendi. Verum iſthæc deſpicere ac curare aliorum officium eſt: nos hiſtoriâ Iuris enarratâ fortaſſis meritò hèc, acquieſcimus.

# INDEX CAPITUM.

I. Gentes Germanicas olim nullas leges ſcriptas obſervaſſe. pag. 1.
II. Nonnullas gentes Germanicas legibus ſcriptis cœpiſſe uti, poſt annum Chriſti quadringenteſimum. 3
III. De Legibus VViſigothorum. 4
IV. De Legibus Oſtrogothorum. 8
V. De Legibus Gothorum, Scandiæ incolarum. 9
VI. De Legibus Burgundionum. 11
VII. De Lege Salica Francorum. 13
IIX. De Francorum Regno Auſtraſico. 18
IX. De Legibus Alemannicis & Baioariis Francorum. 19
X. De Francorum Legibus Ripuariis. 22
XI. De Legibus Regum Langobardorum. 23
XII. De Caroli Magni additamentis ad Leges Salicas, Baioaricas, & Langobardicas. 28
XIII. De Saxonum, Friſiorum & Thuringorum legibus iuſſu Caroli Magni conſcriptis. 31
XIV. De Legibus Capitularibus civilibus & Eccleſiaſticis Caroli Magni. 37
XV. De Ludovici Pii Legibus, earumq́; collectione per Anſegiſum & Benedictum Levitam. 43
XVI. De Suppoſititiis priorum Pontificum Epiſtolis, Decretalibus & Canonibus conciliorum quorundam, Germaniæ pro Legibus Eccleſiaſticis ætate Ludovici Pii obtruſis: item de Rabani Mauri libro Pœnitentiali. 49
XVII. Quæ legum per Germaniam fuerit ratio à Ludovico Pio uſq; ad Ottonem Magnum: ex occaſione narratur, in

Gallia

Galliâ & Italiâ Capitularia Caroli & Ludovici per eadem tempora fuiſſe obſervata. 57

XIIX. De legibus Ottonum. Ab iis Ius VVeichbildicum Magdeburgenſe non eſſe conſcriptum, aut latum. 61

XIX. De ratione legum uſq; ad Lotharium II Saxonem: de Burchardi VVormatienſis Decretorum libris, & Legibus Familiæ: item de Carolinarum Saxonicarum legum additionibus, nec non Haraldinis legibus Tranſalbinorum. 46

XX. Ante Lotharium II uſum aliquem iuris Iuſtinianei in Italia ſuperfuiſſe. 69

XXI. Quod vulgò aſſeritur, Iuſtinianeas leges in ſcholas Lotharii iuſſu & autoritate eſſe reductas, id non tantum incertum ſed & falſum eſſe. 75

XXII. Quod vulgò aſſeritur, Lotharii Cæſaris iuſſu abrogatis receptis omnibus legibus ſolas Romanas in fora Italiæ reductas, id falſum eſſe demonſtratur. 91

XXIII. Vera hiſtoria reducti Iuris Romani in ſcholas & fora Italiæ. 97

XXIV. Romanas leges non eſſe à Lothario Cæſare in Germaniam introductas: eaſdem demum ſeculo decimo tertio in Galliam & Hiſpaniam penetraſſe. 103

XXV. A Friderico I legum nonnihil ſcriptum eſſe. Cæteroquin Germaniam à Carolinis temporibus uſq; ad ſeculum XIII. nullis penè ſcriptis legibus uſam. 108

XXVI. Seculo decimo tertio Ius Pontificium in Germania cœpiſſe. 111

XXVII. Cur à ſeculo decimo tertio frequentius leges Germanicæ ſcribi cœperint. De conſtitutionibus Cæſareis ad ævum Maximiliani primi. 116

XXIIX. De ſtatutis Vrbium ſcriptis: imprimis iure Lubecenſi, & pro-

*& proceſſu Vrbium forenſi uſq; ad ſeculum decimum quintum uſitato.* 122
XXIX. *De Iure VVeichbildico Magdeburgenſi.* 127
XXX. *De Speculo Iuris Saxonici & Suevici, nec non Codice Iuris feudalis Saxonici & Suevici.* 132
XXXI. *De uſu ſcriptarum legum per ſeculum decimum tertium & quartum.* 140
XXXII. *Ius Romanum ut & Feudale Langobardicum, in ſcholas & fora Germaniæ ſeculo decimo quinto introducta eſſe.* 147
XXXIII. *Quomodo & inquantum Leges Romanæ ac Feudales Langobardicæ in Germaniæ ſcholas & fora ſint receptæ.* 156
XXXIV. *Epilogus operis.* 165

# F I N I S.

## *Emendanda.*

*Pag.11. lin.13.* eas admiremur. *P.33. l.ult.* artic.LXXXII. *P.46.l.26.* decedens. *Item* Lotharii. *P.49. l.11.* Davide Blond. *P.50. l.18.* David Blon. *P.51. l.1.* editâ Ind. *l.5.* David Blond. *l.11.* lectu ſunt. *P.55. l.15.* approbaſſe, tamen. *P.56. l.25.* Pontif. conatibus ſeſe. *P.95. l.27.* in ipſo Langobard. *P.104. l.25.* Chr. quinctum decim. *P.115.l.20.* XI.Not.quoq;. *P.116,l.1.* M CCCC XVII. *P.121. l.14.* illa forſan tota. *P.124. l.6.* quid. anno dem. *P.128. l.11.* poſt demonſtr. *P.132. l.12.* ut & jus feud. *P.142. l.21.* contra Henricum Boh. *P. 144. l.10.* Bullæ Papali. *P. 155. l.12.* quinti-deci[illegible]

*In Præfat. a.2. fac.2. l.1.* ptores elicuerit. *c.2. fac.1. l.21.* illi uſu *c.3. f.2. l.19.* προσυλλογισμοῦ.